Nordin, C. G.

Monumenta Suiogothica vetustioris aevi falso meritoque suspecta. [Diss. acad. pros.: J. Ihre, 2. auct.] + Cont. 1. Upsaliæ 1773, 74.

Warmh. 2453. Lidén I, 365 (a.v.).

JOH. AX. ALMQUISTS BOKSAMLING

21908/

MONUMENTA SUIOGOTHICA VETUSTIORIS ÆVI FALSO MERITOQUE SUSPECTA,

Venia Ampl. Facult. Philoſ. Upſ.

Præſide

S:Æ R:Æ M:TIS MAGNÆ FIDEI VIRO,

Generoſo ac Nobiliſſimo

DOM. JOHANNE IHRE,

Reg. Canc. Conſiliario,

Prof. Eloq. & Polit. Skytt. Reg. & Ord. Equit. Aurat. de STELLA POLARI, Acad. Litt. Hum. Holm. Soc. Reg. Scient. Upſ. & Norrveg. Memb. Societatisque Antiquar. Lond. Socio Honorario,

PRO GRADU PHILOSOPHICO EXHIBET

CAROLUS GUSTAVUS NORDIN,

Medelpado - Jemtlandus.

In Aud. Guſtaviano D. 26. Maji 1773.

UPSALIÆ,
Typis EDMANNIANIS.

R. 11. vid. Nordin N. L.
JOH. AX. ALMQUISTS BOKSAMLING

S:Æ R:Æ M:TIS
REGNIQUE SVIOGOTHICI
SUMMÆ FIDEI VIRO ET SENATORI,
REGIÆ ACADEMIÆ UPSALIENSIS CANCELLARIO,
REGIORUM ORDINUM EQUITI ET COMMENDATORI,
ILLUSTRISSIMO EXCELLENTISSIMOQUE
COMITI AC DOMINO,

DOM. CAROLO RUDENSCHÖLD,

MÆCENATI SUMMO.

Honeſto certamine dum juventus Academica ad Tua contendit limina, Illustrissime Comes, *ſuam Tibi pietatem & obſequia teſtatura, ne indigneris, humillime precor, ſi ego, antea haud cognitus, turbæ me inferam, & hanc occaſionem arripiam Tuæ Tutelæ me permittendi. Leviſſimum eſſe fateor, quod affero, devotæ mentis pignus, nec niſi argumento, quod tractat opella, animoque, quo offertur, cenſendum: ut vero Libello, cujus hic ſiſtuntur vindiciæ, Te,* Mæcenas Excellentissime, *mirum in modum delectari dudum declaraſti; ita, quæ in antiquitatem ei vindicando occupatæ fuere, qualescunque curas Tibi non prorſus diſplicituras, licebit augurari. Si autem, quæ Tua eſt gratia, facere dignatus fueris, ut hujus, licet audacioris, voti damner, cœlum vertice tangere mibi videbor, lubensque hujus Literariæ Societatis ſupplicationibus, dum pro Tua incolumitate perennatura ad Deum ſuſpiria mittit, mea adjungam, quoad vixero, permanſurus*

ILLUSTRISSIMI EXCELLENTISSIMIQUE NOMINIS TUI

cultor & cliens devotiſſimus,
Carolus Guſtavus Nordin.

In S:am R:am M:tem
MAXIMÆ FIDEI VIRO,
Supremo Arcis Regiæ Urbisque Stockholmiensis
PRÆTORI,
Ordinis Ensiferi Equiti et COMMENDATORI,
PERILLUSTRI ac GENEROSISSIMO
BARONI,
Dom. CAROLO SPARRE,

MÆCENATI MAXIMO.

Qui nomen, quod mihi dedere natales, amare, fovere, promovere denique, dudum aſſvetus es, Perilluſtris & Generoſiſſime Domine BARO, idem ne ægre feras, ſi ego iisdem, quæ præivere ſanguine proxime juncti, jam ſubſequi auſim veſtigiis. Te ſcilicet, uti Tutelare ſuum Numen, Fraterna domus ſuſpicit, veneratur; ita meum eſſe judicavi, eorum in Te pietatem communem ducere illorumque exemplo ſperare, fore, ut me & leve, quod Tuis oculis ſubjicere Juſtineo, opuſculum Tuo dignari favore velis. Si vero, quantopere hoc optem, teſtari potuerint præſentes pagellæ, ſimulque coram Te, at quanto judice! probare, quo in Patriæ Hiſtoriam reliquis cum Literis Humanioribus, Tuis deliciis, ferar amore, voti me compotem lætus ſentiam, ad cineres futurus

PERILLUSTRIS ET GENEROSISSIMI
NOMINIS TUI

cultor devotiſſimus,
Carolus Guſtavus Nordin.

IN
S:AM R:AM M:TEM
MAGNÆ FIDEI VIRO,
DIOECESEOS HERNÖSANDENSIS EPISCOPO,
VENERANDI CONSISTORII PRÆSIDI,
GYMNASII SCHOLARUMQUE EPHORO,
REVERENDISSIMO S. THEOLOGIÆ DOCTORI,
DOMINO OLAVO
KIÖRNING.

MÆCENATI MAGNO.

Annus jam agitur ſupra viceſimum ſeptimus, ex quo Te, Reverendiſſime Pater, ſuum Præſulem veneratur ampla non minus, quam inclita Diœceſis Hernöſandenſis, cujus commodis deſerviendo virilem Tuam attriviſti ætatem, & venerandam, quam aſſecutus es, etiamnum impendis ſenectam. Quantopere hæc inter cordi Tibi fuerit ad hanc Academiam liberalibus ſtudiis operans Norrlandica juventus, ipſa ſemper grato Tibique devinctiſſimo agnitura erit pectore. Contigit vero eidem, ut jam tertium menſem Tibi præſenti ſua teſtari poſſit humillima obſequia, de quo impenſius ſibi gratularetur, niſi fatalis domeſticus caſus, cui adſcribendum id eſt, lætitiæ ſenſum apud nos ſuffocaret, hocque honoris genus nimium care emtum merito judicaremus. Tua potius damna, Vir Reverendiſſime, nos intime excruciant, & ut tam hujus infortunii, quam noſtræ pietatis apud poſteritatem aliquod erigatur monumentum, ego pagellas haſce, tamquam popularium nomine, Tibi Defunctæque Conjugis memoriæ ſacratas, in publicum prodire juſſi. Excipias illas, humillimus obſecro, ea humanitate, qua ſemper Te adeuntes impertiri ſoles, nulloque tempore ſolito favore amplecti intermittas

REVERENDISSIMI NOMINIS TUI

cultorem humillimum,
Carolum Guſtavum Nordin.

Viro Maxime Reverendo atque Celeberrimo
S. Theologiæ DOCTORI,
Eccleſiæ Skelleftenſis in Weſtro-Botnia PASTORI,
Adjacentium Eccleſiarum PRÆPOSITO,
Scholæ Trivialis Pithenſis INSPECTORI,
Acad. Reg. Scient. Stockh. ac Soc. pro Fide & Chriſtianismo
MEMBRO,

D. PETRO HÖGSTRÖM,

PATRONO OPTIMO.

Non ſunt mihi e longinquo arceſſendæ rationes, ob quas Nomen Tuum celeberrimum jam compellem, Vir maxime Reverende. Quoties enim in mentem mihi recurrit Optimi Parentis, eheu in Cælites haud ita pridem recepti! pia memoria, fieri non poteſt, quin ſimul recorder amicitiæ, qua Illum viventem amplexus es, quamque cum Illo in umbras abire non paſſus fuiſti, ſed in filium, ſuo orbatum præſidio, voluiſti derivatam. Quid vero ſic a Te, commodorum meorum cupidiſſimo, illisque inſervitura optima ſuggerente conſilia, ſperare poſſim, magis certe perſpicio, quam, quid Tibi rependam, invenio, niſi eodem munere contentus fueris, quod alterum Parentem meum boni conſuluiſſe memini. Animum loquor in Te fervida pietate calentem, & pro Tua incolumitate nunquam non ſincera fundentem vota. Itaque, quod Tuum eſt, Vir maxime Reverende, Tibi reddo, leve ſcilicet ſpecimen mearum in ſtudiis factarum progreſſionum, quod Tuum Nomen illi præfigendo, Tibi offerre ſuſtinui. Quo ſereniori illas fronte exceperis, hoc fortius ad ſua in Te augenda ſtudia incitamentum Te additurum ſcias

MAXIME REVERENDI NOMINIS TUI

cultori obſervantiſſimo,
Carolo Guſtavo Nordin.

L. B.

Plura inter nos circumferri Scripta, vetuſtatem vel mentientia, vel ſaltem νοθείας *ſuſpecta, norunt omnes, qui in Patriæ Hiſtoria penitus hoſpites non ſunt. Scilicet nonnulli, dum vera hiſtoria ſatis & ex eorum ſententia efferendæ vel Gentis Noſtræ antiquitati, vel gloriæ rerum geſtarum ſufficere non videbatur, pulcrum duxère, ex ſubſidiis fabulas & varia figmenta evocare. Poſſet horum ingens recenſeri numerus, imprimis ſi in hunc catalogum illos referremus, qui ſcripta genuina varie vel interpolarunt vel etiam corruperunt* *). *Sed, hisce omiſſis, ſatis habebimus in præſentia, præcipua nominare ſcripta, de quorum ætate & fide in utramque partem diſputatum eſt, & non minus ſuæ fraudis convincere impoſtores, quam fidem illis adſtruere, qui in immeritam incidere ſupicionem. Sub examen hoc intuitu vocabimus* Inſtitutionem Regiam (*Konunga och Höfdinga Styrelſe*), Hiſtoriam Hialmari (*Hialmars Saga*), Literas Pontif. GREGORII IV. *quibus ANSGARIO ArchiEpiſcopi conferrentur honores*, Privilegium ab

A Im-

*) *In hunc cenſum referre licebit illorum male ſedulam operam, qui Codici noſtro Argenteo impuras manus inferre non veriti Joh. 10: 23.* ubizvai, *porticus, converterunt in* ubizali, *fidem facturi, ad Thraciam usque penetraſſe famam templi Upſalienſis, adeoque* porticum *SALOMONIS hic appellari* Upſaliam *SALOMONIS: quiq. in eodem Codice pro* ſlepith, *dormit, pluribus locis repoſuere* ſaevith, *nempe ne propius ad Germanismum, quam ad noſtri ſermonis genium accederet Lingua Mœſogothica. (Vid. Nobil. SOTBERGII Ulphilas Illuſtr. p. 11. & 182). Similis olim erat audacia Viri olim celebris, qui in codice Legum Suiogoth. in voce* Eriksgata *primam literam ubique eraſit, ut probaret* riksgata *olim dictum fuiſſe, & nunc rectius dici. Taceo teſtimonia ex neſcio quibus membranis Gothicis* Zamolxi Lundiano *inſerta ejusdem pretii auctoritatisque, ac* Strelovianna Gothlandiæ Monumenta *& plura alia, quæ enumerare, longa mora foret.*

Imperatore LUDOVICO PIO eidem ANSGARIO datum, Decretum Danaholmenſe (*Danaholms Môtes Beſlut*), Bullam Pontif. AGAPETI II, Bullam Pontif. SYLVESTRI II, *qua Runarum uſus prohiberetur*, Decretum Comitiale in Helge Ands-Holmen (*Helge Ands Holms Môtes Beſlut*) Annotationes CAROLI Epiſc. Aros., fidei *denique* formulam, *quam notis ad COCHLÆI Vitam THEODORICI inſeruit Nobiliſſimus PERINGSKIÔLD, & quæ plura alia ad noſtram pervenere notitiam, quorum numerus non dubito, quin multo maximis acceſſionibus adaugeri poſſit, ſi variæ antiquitatis, quæ putantur, reliquiæ diligentius examinentur. Probavit ſic dudum Dom. PRÆSES, Literas Regis MAGNI ERICI, quibus donatio Monaſterio Nydalenſi, a Rege ERICO LÅSPE & Duce BIRGERO Jarl facta, confirmatur, ſe ipſas arguere falſitatis, illoque incitati exemplo in plures ejusmodi veteres tabulas inquirere occepimus, qualium etiam non paucas bona fide & ſine prævio examine a Nobil. ÔRNHIELMIO aliisque invenimus receptas. Quæ de his & reliquis inter legendum annotavimus, animus quidem fuit in ordinem redacta ſimul proponere, ſed variis, iisque maximam partem domeſticis, rationibus hoc tempore inducti ſumus, ut in præſenti, quæ primum ſuſpectæ fidei monumentum,* Inſtitutionem Regiam, *tantummodo examinabit, ſubſiſtamus particula. Si vero hanc Candido Lectori non prorſus diſplicuiſſe intellexerimus, fieri aliquando poſſe opinamur, ut illius quoquo modo ſequatur continuatio. Interea Vale B. L. noſtrisque conatibus fave.*

MONUMENTA SUIOGOTHICA VETUSTIORIS ÆVI FALSO MERITOQUE SUSPECTA.

Caput Primum. Konunga och Höfdinga Styrilſe.

§. 1.

Librum elegantiſſimum, vetuſtiori Suiogothorum Dialecto conſcriptum, titulumque præferentem: KONUNGA OCH HÖFDINGA STYRILSE, primus inventum protuliſſe fertur Regis Regnique Sveciæ Senator hujusque Academiæ olim Cancellarius, Illuſtriſſimus L. Baro JOHANNES SKYTTE, qui, ut inſigni in literas ferebatur amore, & in primis ea, quæ ad res Patrias antiquioris ævi illuſtrandas facerent, magno in pretio habuit; ita hoc antiquitatis monumentum nobilius judicavit, quam ut cum blattis tineisque diutius relinqueretur colluctaturum. Optimam quoque occaſionem obtulit materiæ ſtilique dignitas oculis ipſius Regis Auguſtiſſimi GUSTAVI ADOLPHI illud ſubjiciendi *a*), cujus limatiſſimum judicium fugere non potuit, quantum in communes conferret uſus, ſi in publicum emitteretur. Hoc igi-

a) *Dedicatio* BURÆI *ad Generoſiſſ.* SKYTTE.

igitur ut curaret, Bibliothecario ſuo Regnique Antiquario, JOHANNI THOMÆ AGRIVILLENSI BURÆO, Rex clementiſſime injunctum voluit *b*), qui & voluntatem tanti Principis quam primum exſequi inſtitit. Verum quamvis prelo mox traderetur Libellus, lucem tamen vivente Rege adſpicere non potuit. Prodiit namque non prius, quam 1634, hoc eſt, duobus poſt mortem Ejus annis, idque *Stockholmiæ c*); tum vero præfatione, ſummariis, triplicique indice rerum, auctorum & vocabulorum obſoletorum inſtructus, & Reginæ inſuper CHRISTINÆ ab Editore dicatus edebatur, fini tamen, quem ſibi propoſitum habuiſſe dicitur Glor. Mem. Rex, per omnia non ſatis adcommodatus. Scilicet animo ſuo Heroa hunc propoſuiſſe & præfatio *d*) & dedicatio indicant, ut in inſtitutione Nobilium juvenum non modo adhiberetur; ſed & in Scholis ea lege reciperetur publicis, ut junioribus proponeretur ſecundus *Titulus*, ætate provectioribus ceteri reſervarentur *e*), hoc modo proviſum

b) *Præfatio* BURÆI.

c) Hancce BURÆANAM Editionem in 4:to una cum indicibus ad verbum expreſſit altera anno 1650, *Stockholmiæ*, in forma 12:ma, ab *Henrico Kejſer* emiſſa, Legumque Uplandicar., Oſtrogoth. & Helſingicar. editioni annexa, quam poſtea excepit JOHANNIS SCHEFFERI *Argentoratenſis*, *Stockholmiæ* anno 1669, in folio, ex Mandato *Reg. Canc. Com.* MAGN. GABR. De La GARDIE, qui & dedicationem ad Regem CAROLUM XI præmiſit. Suecanum textum Latine vertit, notisque, argumentum Libelli maxime continentibus, illuſtravit, nonnulla denique ad Hiſtoriam ejus ſpectantia præfatus eſt SCHEFFERUS, receptis ad finem quoque indicibus BURÆANIS. Fuit vero hoc Monumentum primum, quod luci publicæ dedit inſtitutum COLLEGIUM ANTIQUITATIS.

d) Quum hanc, vivo adhuc Rege, puta 1630, impreſſam fuiſſe conſtet, eo majorem ei fidem habeamus, oportet.

e) In IV. Titulos diſtributum eſt Opuſculum. In I. monſtratur

ſum iri exiſtimans, ne *Terentium* aliosque auctores profanos conſulere neceſſum haberet Patriæ juventus, ſed ex hoc aliisque id genus vernaculis fontibus ſcientiam ad ſuum genium adcommodatiorem haurire poſſet. Quin immo majoribus uſibus Libellum hunc deſtinaverat GUSTAVUS, ſuæ inquam unicæ Filiæ, Principis Regiæ CHRISTINÆ, inſtitutioni; quamobrem etiam, qui ſtudiis Ejus præfectus erat, JOHANNI MATTHIÆ, Epiſcopo deinde Strengneſenſium, in mandatis dedit, ut attentiori ejus lectione CHRISTINAM imbueret *f*). Quantum igitur pretium ei ſtatuerit tantus arbiter, vel ex his, quæ attulimus, pronum eſt judicare, uti BURÆUS ſimul asſeverare non dubitat, Regem ſæpe coram Amicis Regnique Proceribus honorificam Scripti hujus mentionem injeciſſe *g*). Neque immerito tantas ei tributas eſſe laudes, nec easdem ſola GUSTAVI ætate terminari, teſtantur plurima, quæ ſequentibus noſtrisque etiam temporibus conſecutum eſt, elogia. Primum in hunc cenſum veniat judicium Regni hujusque Acad. Cancellarii Com.

 MAGN.

quamobrem neceſſe ſit, multitudinem a Rege gubernari, & cui jure competat Regium imperium in II. qua ratione Reges Principesque ſe ipſos actionesque ſuas gubernare oporteat per virtutis atque honeſtatis obſervationem; in III. quo pacto familiam aulamque ſuam regant absque juſta reprehenſione: in IV. denique in VII. Capita (Flukker) diviſa, docetur, qua ratione regnum civesque ſuos debeant regere ſua cum gloria, civium tranquillitate ſecuritateque, & omnium denique mutua inter ſe concordia. *Vid. Auct. p. 1. 2. Edit.* SCHEFFERI, quam paginas Libri citantes ubique reſpeximus.

f) Vid. *Memoires pour ſervir a l'Hiſtoire de CHRISTINE, Reine de Svede. Tom. I. pag. 31*; & BURÆI *Dedic.* Quousque effectui data fuerit hæc Regis voluntas, nos quidem non reſcivimus.

g) *Dedic. Cit.*

MAGN. GABR. DE LA GARDIE, qui, *ſi doctrinæ, quas continet ſpectentur, munus longe maximum pretioſiſſimumque* ſe Principi ſuo, CAROLO XI, Ejus nomini inſcribendo Libellum, obtuliſſe ſibi gratulatur. Titulo: *d' un livre, qui eſt rempli des plus belles & plus ſaines maximes de gouvernement* illum ornare non dubitat Conſiliarius Aul. Haſſ. Nobiliſſimus ARCKENHOLTZ *h*). Et ſummus hac in cauſſa Judex, Regis Regnique Senator, hujusque Academiæ Cancellarius, Illuſtriſſimus Comes, CAROL. RUDENSKIÖLD, *non uno nomine dignum* pronunciat, *qui ut exemplar ſpectetur i*); Ceteris, quæ de illo tulerunt WILDE *k*) v. CELSE *l*), v. DALIN *m*), v. STIERNMAN *n*), BOTIN *o*), MORHOFIUS *p*) aliique, recenſendis ſuperſedemus judiciis faventioribus.

§. 2.

Sed unanimis, quem ſic in Libro laudando vidimus, eruditorum conſenſus prohibere non potuit, quo minus ſaltem qua ætatem ſuſpectus haberetur, & tanquam recentiori cura ſuppoſitus. Ejusmodi ſuſpicioni, quæ jam tum invaluerat, cum ſuam editionem adornabat SCHEFFERUS, in

h) Vid. Cit. *Memoires pour ſervir a l' Hiſtoire de* CHRISTINE *Reine de Svede* l. c.

i) *Tal om Svenſka Språkets art och nu varande bruk p. 4.*

k) *Hiſt. Pragmat. Sveciæ. Lat. pag. 470.*

l) *Hiſtoria Biblioth. Reg. Stockh. p. 25.*

m) *Svea Rikes Hiſt.* T. II. p. 312. *in notis.*

n) *Tal om Vetenſkapernes tilſtånd i Sverige under Hedendomen och Påfvedöms tiden p. 103.*

o) *Utkaſt til Svenſka Folkets Hiſtoria pag. 403.*

p) *Polyhiſt. p. 466. Edit. Fabricii*, ubi *inter pædagogiæ Regiæ Moralis Scriptores* noſter refertur.

in præfatione eidem præmiſſa obviam ire, variisque eam rationibus deſtruere conatur. Neque nos negare ſuſtinemus, fuiſſe nonnulla, quæ ſuſpicionem de antiquitate Libelli excitare potuerint. Regiminis formam, quam Oligarchicam appellant Politici, quæque in Suecia antequam ſceptra capeſſeret GUSTAVUS I. locum fere habuit, ultimisque Regis JOHANNIS III. annis revivixiſſe videtur, ſub minorennitate CHRISTINÆ Optimatibus denuo placuiſſe conſtat *q*). Cum vero hanc Libellus ſuo calculo non approbaret, quin potius Regale imperium, quam minimis vellet limitibus circumſcriptum *r*) & Generoſiſſ. SKYTTE, quem nimiæ Procerum potentiæ inimicum fuiſſe perhibent, *s*) is eſſet, qui primus illum in lucem protraheret, facile exiſtimari potuit ex ejus ſententia, ad præſentem rerum ſtatum accommodatus *t*). Ne-

q) Cfr. *Förſök til en Pragmatiſk Hiſtoria om Frälſeſtåndet i Sverige. p. 41.* Neque ſine indignatione eos tuliſſe inconceſſas ſibi a GUSTAVO ADOLPHO Imperii partes, patet ex verbis Regni *Drotſeti Com.* *PETRI BRAHE: Såſom Konung GUSTAF ADOLF var en heroiſker Herre, ſå var han ock af det humeur, at han til at dämpa androm, och hans magt ſkulle blifva deſto ſtörre kaſtade handen uti andras privilegier. Vid. Protoc. Senat. 1636.*

r) *WILDE Hiſt. Pragm. p. 471.* Cfr. *Auct. pag. 14. & ſeqq. 191. Etcet.* Ex ejusmodi quoque Auctoris noſtri locis præſidium ſibi quærit *Celeb.* CAROL. LUNDIUS in Diſſert. *de Origine Majeſtatis Civilis* ſolutam Legibus poteſtatem in Suecia a Regni usque primordio obtinuiſſe probaturus, quod tamen infringere conatur WILDE L. C. pag. 470.

s) *Anecdotes de Svede.*

t) Aliud tamen Scriptum ipſe edidit Generoſ. SKYTTE, huic noſtro, ſi propoſitum ſpectes, haud diſſimile in uſum Principis GUSTAVI ADOLPHI, cujus prima jam rareſcens editio talem præfert titulum: *Een kort undervysning, uthi hvad konſter och dygder en Furſtelig Perſon ſkal ſigh öfva och bruka, then ther tänker med tijden lyckoſamligen regera Land och Rike, ſtält til then Högborne Furſte och Herre, Herr GUSTAFF ADOLFF Sveriges Ri-*

Neque ad hoc faciendum, vel paratiori animo, vel majori virium apparatu quisquam inſtructus judicabatur BURÆO, utpote qui ſtudiis GUSTAVI ADOLPHI, gubernante Generoſ. SKYTTE, operam navaverat, ſicque ei intime erat conjunctus, illaque antiquitatis Suiogothicæ ſcientia præditus, ut vetuſtioris ſermonis genium facile imitari & calamo exprimere poſſe crederetur *u*). Omnibus præterea notum fuit, quam prolixe ille ſuæ Gentis, imprimis vetuſtioris, gloriæ faveret, quamque indefeſſo conatu illam ſemper cuperet illuſtratam, unde veriſimile haberi potuit, Eum hunc fetum edidiſſe, ut & priſci ævi cultiora ſtudia commendaret, & ſimul oſtenderet, quæ olim de optima regiminis forma opinio obtinuerit. Ad hæc ſi adjicias, Opuſculum hoc varia immiſcere, quæ recentioris ævi rationes politicas ſapere videantur, ſtilumque inſuper ornatiorem eſſe, quam ut in aſpera & inculta, qualia antiquiora conſtat fuiſſe, tempora, ſatis conveniat, pronum eſt colligere, qui factum fuerit, ut multas multorum ſuſpiciones incurreret. Conceſſit in eandem hanc ſententiam nuper quoque Delsboenſium in Helſingia P. & P. Dom. CANUTUS LENÆUS *w*), qui novum ex eo deſumit argumentum, quod a viro fide digno, Cambii Publici Commiſſario, Dom. FORELIO,

kes Arf - Furſte, Hertig til Sudermanneland, Nårike och Wårmeland Etcet. aff Hans Furſtl. N. Præceptore JOHAN SKYTTE år 1604. 8:vo.

u) Hoc fortaſſis etiam in cauſſa fuit, cur BURÆO adſcriberetur ſuſpectæ antiquitatis Hiſtoria, *Hjalmars och Hramers Saga*, quæ primum prodiit. *Upſaliæ* 1690. Cfr. ER. BENZELII *Utkaſt til Sv. Folk. Hiſt.* p. 53.

w) In *Delsbon Illuſtrata* p. 55.

LIO, ſe audiſſe, narrat, exemplum Libelli, in Archivo (Regni an Antiquitatis non meminit) aſſervatum ipſius BURÆI eſſe exaratum manu; atque inſuper JOSEPHUM THUNIUM *in Vita* PALMSKIÖLDII pag. 48. & 49. ut ſuæ ſententiæ patrocinantem allegat.

§. 3.

Et his quidem rationibus, cuicuimodi ſint, in dubium vocatam fuiſſe credimus Libelli noſtri fidem, quam nec hodierno tempore confirmatiorem videmus, quam ut in diverſa ſententiam laturi abeant eruditi, antiquitatem ei vindicantibus aliis, aliis denegantibus. Nec hos inter convenit, utrum BURÆO, an alii cuidam ignoto auctori illum adſcribere debeant. Sed hi nil aliud agunt, quam quod & Librum & BURÆUM ſe ignorare, aut præjudiciis noſtrique temporis in ſingulares opiniones proclivitate unice duci, oſtendant. Poſſemus ſane Viros plurimos, quorum judicio hac in cauſſa eſſet aſſurgendum, illis opponere, & ex illorum conſenſu noſtræ opinioni robur quærere; ſed & paullo inferius, dum in ætatem libri inquiremus, commodius illos appellabimus: in præſentia e re tantum erit argumentis & in medium afferendis rationibus has deſtructum ire. Ad BURÆUM quod attinet, ex laudabili, quo ille in Suiogothiæ Antiquitates ducebatur, amore, lubricum valde & iniquum eſt colligere, illum tam fraudulenta opera harum numerum auctum voluiſſe. Quod ſi in educando Principe GUSTAVO ADOLPHO conjuncta ejus cum Generos. SKYTTE fuerunt ſtudia, quomodo inde ad com-

poſitam illos inter hac in re fraudem, vel ſalva veritatis ſpecie, poterit concludi? Certe in erudiendo hoc Principe majorem auctoritatem indeque felicius proceſſuram operam ea intendere non potuerunt, quum GUSTAVUM Librum prius non inſpexiſſe conſtet, quam in eo eſſet, ut Patriam relinqueret, atque adeo poſtquam non ſolum Sveciæ, ſed toti Europæ ſatis reddiderat perſvaſum, ſe eum eſſe, qui in imperandi arte exempla & præcepta aliis ſuppeditare potius poſſet, quam ut iisdem aliunde petitis indigeret. Conſtat vero hoc ex ipſo frontiſpicio BURÆANÆ Editionis, collato cum dedicatione R. CHRISTINÆ facta, ubi Librum mox, poſtquam inventus erat, juſſu Regis prelo ſubjectum, & a Rege ut primum illum viderat, Regni Magnatibus de meliori nota commendatum fuiſſe, narratur. In quo eo minus ſui ævi homines fallere potuit BURÆUS, cum adhuc illos inter, ſi minus omnes, plurimi tamen Magnatum eſſent ſuperſtites. Sed inſtitutioni Principis CHRISTINÆ ut inſerviret, forte dixeris ſuppoſitum; verum neque hoc veriſimile videtur, quum muliebre imperium nullo prorſus loco heic commendetur, ſed virili ubique ſit applicatus. Rationes a LENÆO allatas, tales non eſſe, quivis facile viderit, ut a noſtra nos opinione dimovere debeant. Si enim vel maxime verum ſit, *Inſtitutionem* hanc *Regiam* BURÆI manu exaratam in Archivi tabulario reperiri, nihil obſtitiſſe judicamus, quo minus ille, qui edendi curam in ſe ſuſceperat, Opuſculum deſcriberet, & quo minus hoc

exem-

exemplar inter alias ejus collectiones Archivo demum inferretur. Citatum e *Vita* PALMSKIÖLDII locum ſi inſpicere libuerit, facile patebit, nullam prorſus ibi ſuſpicionem BURÆO fuiſſe impactam: ſi autem quædam occurrant, & ſi quoque talia ibi reperirentur, de iis eadem valebunt, quæ de ſuperioribus attulimus.

§. 4.

Ex allatis licet Libri noſtri, adeoque BURÆI, integritatem ſatis vindicatam exiſtimemus, unicum tamen adhuc, quod omnibus eamdem ulterius impugnandi conatibus occurrat, huic loco reſervavimus. Ut verba ſua recte proferat, intelligat aliisque interpretari poſſit, primum certe eſt idemque minimum, quod ab auctore quovis jure expoſtulamus. Si ergo nos probaverimus, BURÆUM plurima Libelli loca, nec recte legiſſe, nec lecta rite explicuiſſe; non poteſt non inde ſequi, eum de ſuo illum non depromſiſſe ingenio. In his vero quam crebro ab illo erratum ſit, dum editionem ejus diu trivimus multumque, ſatis obſervavimus; Et ne id fruſtra dicere exiſtimemur, apponemus exempla, quorum alia male lecta, alia perverſe reddita, alia penitus non intellecta ſiſtent vocabula. Ad primam claſſem refer

Pag. *8. Wanbuxa.* Lege *Umbuxa.* Circumſpicere, Animum quaqua verſum convertere *x*)

x) Vid. *Gloſſarium Sviogoth. Generoſiſſ. Dom. Præſidis* T. I. p. 890.

12. Som.	*Sonr.*	Filius *y*).
14. Reta.	*Leta.*	Quærere.
28. Sum.	*Sunr.*	Filius *y*);
30. Aldor.	*Halder.*	Applicat.
44. Radlika.	*Råtlika.*	Recte *z*).
47. Therahanda.	*Thesahanda.*	Hujus generis.
50. Lifwat.	*Lifnat.*	Vitam *a*).
51. Alla.	*Ålla.*	Sive.
60. Ölydr.	*Olykr.*	Diſſimilis *b*).
62. Tillatugr.	*Littillatugr.*	Humilis, Familiaris *c*).
76. Wårdes.	*Wåndes.*	Aſſuefiebant.
99. Annor kunſt.	*Annor Kuſt, koſt.*	Alio modo *d*).
101. Makt.	*Mak.*	Otium *e*).
107. Ofős.	*Ofőr.*	Invalidus.
109. Owåtugan.	*Ofåtugan.*	Voracem *f*)
122. Lakare.	*Lekare.*	Ludiones.
145. Slikiarom.	*Flikrarom.*	Adulatoribus *g*).
148. Nytorwa.	*Wid-wider-torwa.*	Opus habere *h*).
175. Annorlek.	*Annorled.*	Alio modo.
183. Tilgårningom.	*Illgårningom.*	Sceleribus.
196. Siålde.	*Fiålde.*	Multitudo *i*).

Ly-

y) Cfr. *pag. Auct.* 24.

z) Cfr. *Auct.* p. 46, 98, 102.

a) Cfr. *Auct.* p. 126.

b) Vid. MARTINUM de *Quatuor Virtutibus Cardinalibus*, quem heic auctor exſcribit. Cfr. SCHEFF. *Not. in hunc. loc.*

c) *Ibidem* apud MARTINUM,

d) Cfr. *Auct. pag* 100.

e) Vid. *Gloſſ. Sviogoth.* T. II. p. 119.

f) Vid. *pag. Auct.* 84. Cfr. WACHTERI *Gloſſar.* p. 1733.

g) Cfr. *Auct.* p. 51, 178.

h) Gloſſ. Suiog. T. II. p. 860.

i) Cfr. *Ind. Verborum Obſolet.* BUR. *Dyger Siålde.* Cognat. German. *Viel.*

196. Lytit.	*Lydit.*	Dicto audiens.
210. Slakum.	*Flakum.*	Crates, Texta lignea *k*).

Allata hæc vocabula male lecta eſſe, arguit ipſe Textus, cujus nullus omnino elici poteſt ſenſus, ſi, ut exſtant, retineantur *Som*, *Reta*, *Sum*, *Lifwat*, *Alla*, *Olydr*, *Wårdes*, *Makt*, *Tilgårningom*, *Lytit.* Nonnullorum falſam lectionem indicat eorum cum ſimilibus noſtri & aliorum auctorum locis inſtituta comparatio, ut *Radlika*, *annor kunſt*, *ovåtugan*, *ſlikiarom;* Cetera vero: *Wanbuxa*, *aldor*, *therabanda*, *ofős*, *lakare*, *nytorwa*, *annorlek*, *ſiålde & ſlakum*, vix Svecana eſſe crediderim, ſed aut BURÆI hallucinationibus, aut amanuenſis incuriæ, cujus opera in Libro deſcribendo adhibita fuit, tribuenda *l*).

Immo etiam illorum, quæ recte legit BURÆUS nonnulla explicare non potuit. Hanc claſſem, quam ſecundam conſtituimus, ingrediuntur:

P. 8. *Tydelekur* Vert. Buræus: *Tractabilis*	Recte.	Socialis.
22. Aldre.	*Diutius.*	Nequaquam.
54. Huatwitna.	*In Partem utramque.*	Quælibet.
59. Såte.	*Condecet.*	Juvat.
130. Klårkdom.	*Clericis.*	Eruditio.
132. Gőzka.	*Conſervatio.*	Emolumentum.
179. Spakmånde.	*Clerici aliique Docti.*	Pacifici.
203. Siker.	*Securus*	Victoria.

 Ter-

k) Vid. *Gloſſ. Sviog.* T. I. p. 387, 388.

l) Conqueritur ipſe BURÆUS in ſua præfatione, exemplum, ad quod Liber impreſſus eſt, vetuſtate adeo obliteratum fuiſſe, ut, qui illud deſcriberet, ſæpius in lectione hæſitaverit, & conjecturis coactus fuerit ſeſe expedire.

Tertiam claſſem facimus eorum, quæ licet explicatione æque ac cetera opus habeant; eam tamen ne tentare quidem auſus eſt BURÆUS, ideoque nec in indicem ſuum retulit. Hæc inter habeto

Pag. *12. Kyn.* Genus. *190. Slidzkr* Avarus, *135. Ofannogr.* Labori ineptus, *173. Wåla & 193. Warda*, Curare, *184. Dvalu*, Mora *208. Slindoborn.* Munimenta angularia, *210. Fiålom.* Tabulis, *m*) *208. Utſkåkla borga.* Caſtella prominentia, *211. Svidi*, Dolor.

Et ut de BURÆO per ea, quæ ita breviter allata ſunt, nobis pronunciare poſſe videmur, ad illum auctorem Librum hunc non eſſe referendum; ita de ceteris coætaneis ejus temporumque proxime præcedentium eruditis idem etiam valebit: immo nec in uſum cujusdam alius Principis e FAMILIA WASIACA, adſcito antiquitatis fuco, eundem exaratum fuiſſe, haud difficilius eſſet probatu. Cum vero hoc nemo, quod ſcimus, umquam dixerit, neque quisquam, conſiderata ejus ævi conditione, dicere queat, ne nimium extendatur opella, miſſam illam facimus disquiſitionem. Id tantummodo in præſentia monebimus, nos quovis pignore lubenter certaturos eſſe, neminem, nec hoc, nec ſuperiori ſeculo fuiſſe, qui ſi quoque omnes arroſiſſet ungues, vel unicam paragraphum ſtilo ad antiquitatis amuſſim adeo adaptatam conſcribere, potis fuerit, ut nulla hodie comparerent fraudis veſtigia. Novimus varia facta in hoc campo tentamina, quorum nonnulla alia occaſione indicabimus.

§. 5.

m) Vid. *Gloſſ. Suiog.* T. I. p. 388.

§. 5.

Ad antiquiora igitur aſcendamus tempora neceſſe eſt, in natales Libelli adcuratius inquiſituri, quod tamen quam difficile ſit, vel ex eo judicari poterit, quod in ipſo Opuſculo neque Auctoris, neque anni, quo conſcriptus eſt, ullum comparet indicium; licet hoc in plerisque aliis antiquitatis monumentis videamus obſervatum. Quamvis vero ita ſit, & nullus præterea alius vetuſtior auctor noſtri mentionem fecerit; non defuerunt tamen e recentioribus, qui hunc defectum ſupplere, & non ætatem tantum, verum etiam occaſionem Libri conficiendi, vel probabili aſſequi tentaverint conjectura. BURÆUS quidem hac de re præciſe ſuam non indicat ſententiam, illum tantummodo ante compluria ſecula conſcriptum in titulo aſſeverans: at SCHEFFERUS, in præfatione ſuæ Editioni præmiſſa, pluribus ſe inductum ait rationibus, ut credat, illum Regi cuidam in immatura ætate conſtituto & ad imperium educando eſſe compoſitum, idque in ullum alium melius, quam MAGNUM ERICI, cognomine SMEK, cujus inſtitutio MATTHIÆ KETTILMUNDI commiſſa erat, non convenire. Qui poſt SCHEFFERUM hujus rei indagationem ſuſceperit, novimus neminem, usque dum in Scenam prodiret Cel. JACOBUS WILDE *n*) ætatem Libri in tempora BIRGERI, MAGNI Filii, quibus tutelam Ejus Regnique moderamen ſuſceperat TORKILLUS CANUTI, conjiciens. Quid vero in cauſſa tam ancipiti tantosque inter viros agi-

n) *Hiſt. Pragm. Suec. p. 470. 472.*

agitata ſtatuendum ſit, ponderatis ab utraque parte argumentis, intelligi melius poterit.

§. 6.

Sententiam ſuam temporis, cui Librum adſignat, conditione potiſſimum ſtabilire conatur SCHEFFERUS, utpote quo MAGNUS ERICI triennis ad ſceptra vocatus, in imperandi arte, quam ipſe aliquando maturiori ætate exerceret, aliorum præceptis quam maxime haberet opus. Quum porro mentionem facit Liber cognatorum proximorum & virorum alias bonorum curæ in minorenni Rege educando *o)* hoc optime ad MATTHIAM KETTILMUNDI, qui inſtitutioni Regiæ præfectus erat, applicari poſſe opinatur. Neque tam aperte valideque pro ſucceſſione contra Regnum electivum diſputari potuiſſe exiſtimat, ac hic certe fit *p*), niſi illo tempore, quo publica lege ſucceſſio fuit comprobata. Conſtitutam autem illam eſſe, Regnumque hactenus electivum conſenſu Ordinum factum ſucceſſivum, in Decreto publico ea de re 1393. *Wardbergæ* confecto, aperte doceri. Poſt hunc igitur annum publicatum Libellum, & quidem ante annum 1398, quo diem obiiſſe tradit MATTHIAM KETTILMUNDI, quum vitia paſſim reprehendat, quorum conſtat MAGNUM Regem fuiſſe accuſatum, quæque cum Ipſe imperium capeſſiverat, & Regno toti gravis erat, tuto non videtur carpere potuiſſe. Itaque intra quadriennium, quod ab anno Decreti Wardbergenſis 1393. ad MATTHIÆ KETTILMUNDI fatalem

o) Pag. 26. Auct.

p) P. 13. ſeqq. apud Auct.

lem 1398 defluxit, ætatem Auctoris definire non dubitavit. Robur contra ſuæ opinioni ex ipſo ſcripto quærit Celeb. WILDE, quod, cum ubique fere jura Regis & Populi potiſſimum urgeat, Optimatibus autem Ordinis utriusque ultra dignitatis & officii prærogativam juris parum aut nihil tribuat, adeoque Clericorum imperio minime favere ſe demonſtret, ad tempora MATTHIÆ KETILMUNDI, quibus ſummo in flore erat Oligarchia Hierarchica, incommode revocari docet: credendum non eſſe, judicans, MATTHIAM KETILMUNDI aliosque tales hujusmodi Oligarchiæ promotores ea Regi inculcasſe principia, quæ rationi ſtatus, quem conceperant, & commodis ipſorum repugnarent. Rectius autem hoc convenire in TORKILLUM CANUTI, utpote quem Vatiniano odio perſecutos fuiſſe Clericos, conſtat, ſepulturam etiam immeritum ſubeunti ſupplicium, *cujus adhuc vera latet cauſſa q)*, diu denegaſſe; quod factum laudat JOHANNES MAGNI, *ob injuriam Clero olim illatam r)*. Ad hoc etiam accedit, quod perſonis a Rege conſtitutis poteſtatem Judices in Centumpagis ſingulis conſtituendi & deponendi ac removendi (*Skipa ok aftaka domara i hărade ok hundari hwario ăpte almogans tarf ok wilja*) addicat *s*). Quod non accommodatum exiſtimat ætati MAGNI ERICI, qua conſtituti eſſent Judices Territorii Ordinarii, ſed potius temporibus BIRGERI MAGNI

C

q) *Chron. Svec. OLAI PETRI M:ſc. in vita BIRGERI MAGNI Fil.*

r) *Chronic. Svecic. Libr.* 20. *Cap.* 17.

s) *Auct. p.* 68.

GNI filii, quibus bini ex ipſis eligebantur civibus, hisque deinde judicandi provincia a Regis Mandatario conferebatur *t*).

§. 7.

Cui vero ſententiarum, quas ſic recenſuimus, nos ſubſcribendum exiſtimemus, ut paucis indicemus, profitemur ingenue, nihil nos videre, quod impediat, quominus in SCHEFFERI transgrediamur partes: ita tamen, ut diſſimulandum non putemus, Virum hunc doctiſſimum, incuria, Hiſtorico minime condonanda, in præſenti verſatum fuiſſe argumento, immo commiſiſſe, ut ſibimet ipſe evaderet contrarius. Sic *cauſſam explicandi hujus argumenti Auctori noſtro fuiſſe, dum MAGNUS puer trium annorum ad imperium erat vocatus*, primum adſtruit, mox vero ſubjungit exaratum eſſe Librum intra quadriennium poſt editum Decretum Wardbergenſe *u*), quo tamen annos circiter triginta natus erat MAGNUS ERICI. Neque in adferendo iſtius Decreti tabulas una ratione erravit, etenim illas, revera confectas anno 1343, refert ad annum 1393, quo ante 19 annos mortuus erat MAGNUS, Sveciæque jam moderabatur Regina MARGARETA; quemadmodum etiam MATTHIAM KETILMUNDI, mortuum 1337 *v*), deceſſiſſe perhibet 1398. Quod vero deinde tradit, *Wardbergæ* conſenſu ordinum mu-

t) *Upl. L. L. Thingm. Balk. Flokker I. Suderm. L. L. ibid. Weſtman. L. L. ibid.*

u) Videatur hoc Inſtrumentum apud HADORPH. *P. II. Chron. Rhythm. pag. 16.*

v) *MESSENII Scondia Illuſtrata Tom. III. p. 8.*

mutatum fuiſſe priſcum imperium adeundi modum, Regnumque, quod hactenus fuit electivum, factum fuiſſe ſucceſſivum, & hoc laudato Decreto doceri, id aperte indicat, ipſum tabulas haſce ne quidem inſpexiſſe. Etenim verba hujus hæc habent: *Firmiter promittimus, quod inclitum Domicellum, Domicellum Ericum, filium dicti Domini noſtri Regis ſeniorem, juxta conſilium & voluntatem ejusdem Domini noſtri in Regem & Dominum ſuper dictum Regnum Sveciæ & Scaniæ terras &c. omni quo decet bonore, ſecundum debitam formam & conſvetudinem ab antiquo jure in Regno Sveciæ approbatam, in loco pro electione Regis deputato unanimiter & concorditer eligemus - - - - Si vero dictum Dominum noſtrum Ericum ſine liberis exſtantibus decedere contingat, tunc alium de filiis noſtri Regis prædicti Magni ſuperviventibus - - - in Regem & Dominum noſtrum ſuper ante dictum Regnum Sveciæ, Scaniæ &c. & nullum alium, rite & rationabiliter, ut convenit, eligemus.* Hoc autem promiſſo in ſucceſſionem mutatum eſſe antiquum Regis eligendi ritum, probari neutiquam poteſt, utpote cui additur non ſolum expreſſa formula: *eligemus;* verum etiam in fine Decreti diſerte hæc comparet reſervatio: *Quamvis autem libera & ſpontanea ac affectanti animo, bujusmodi negotium pro bono pacis feciſſe dinoſcimur, per hoc tamen juribus & conſvetudinibus, in Regno Sveciæ & Scaniæ ab antiquo tempore de Regum Electione obſervatis, in nullo penitus volumus derogari. Quin ad nos & ſucceſſores noſtros Regum Electio cum juribus ſuis omnibus, poſt*

 mor-

mortem dicti Domini noſtri Regis Erici vel alterius Domini noſtri Domini Magni filii, quam ipſo Domino noſtro Erico Rege prædicto ſine liberis, quod abſit, mortuo, in Regem, ut præfertur, eligemus, libere revertatur.

Formulæ Wardbergenſis dum injicitur mentio, illamque, ut *conſenſu Ordinum* confectam, a SCHEFFERO videmus allegari, non poſſumus non indicare, & Illum & noſtri ævi Hiſtoricum Generoſ. v. DALIN ex falſo, quem HADORPHIUS, aut ante Eum alius, dederat, titulo *x*) induci ſe paſſos fuiſſe, ut illam Ordinum Scaniæ conventionem, qua Svecano Imperio in æternum ſeſe ſubmiſerint, haberent. Ut certiſſimum invaleſcentis tum Hierarchiæ documentum hoc adfert Generoſ. v. DALIN, quippe qui *Scaniæ*, *Hallandiæ* & *Blekingiæ* incolæ per Clericos ſuos tanti momenti pactum condiderint *y*). Verum qui dictas tabulas accuratius conſideraverit, facile videbit, Clericos egiſſe hic ſuo ipſorum potius, quam aliorum nomine. Scilicet ex Literis Regis Daniæ WALDEMARI 1341. *in Oct. Joh. Evang. Helſingburgi* datis *z*), quibus memorabilis illa negotiatio *Scanenſis* confirmabatur, patet Optimates terrarum *Scaniæ*, *Blekingiæ*, *Liſtriæ* & inſulæ *Hvethen* cum communitate eorundem, (*The ypperſte Ridderſkapet och gode mån i Skane*, *Halland*, *Liſter och Hvadhe mz kôpſtadz mån och theras menoghheter*) ubi tyrannidem & ſervitutem alio modo evitare non poſſent, *MAGNUM*

x) Eundem habet vetuſtior *Catalogus Archivi Regni M:ſc.*

y) *Svea Rik. Hiſt. P. 2. p. 468.*

z) Apud *HADORPH. l. c. pag. 18.*

GNUM in ipſorum Regem & verum Dominum elegiſſe, ſe ſibi per fidelitatis homagium colligatione perpetuo duratura firmiter aſtringendo. Præterquam, quod hic ne nominetur quidem Ordo Eccleſiaſticus, etiam veritati proximum videtur, illum in primis indulſiſſe novitati, qua anno 1340, a Danis perſvaſi, in WALDEMARUM Daniæ Regem propendere cœperunt Ordines Scanenſes *a*). Huic obviam iturus MAGNUS ERICI neceſſariam habuit variisque conceſſis privilegiis impetravit Cleri ad unionem ceterorum Ordinum acceſſionem, quam præſenti declarari Inſtrumento, ut credamus, inducti ſumus verbis, quæ exſtant fere ab initio: *nos unionem* (ſupra) *memoratam prompto & benivolo amplexantes affectu firmiter promittimus - - - adſtabimus fideliter verbis, factis, conſiliis & auxiliis, quantum poſſumus, jure Eccleſiæ, Ordine & Officio noſtro ſalvis.* Ceterum hoc Decreto contineri arbitramur Cleri totius Sveciæ conventionem de MAGNI filio in Regem eligendo *b*).

Sed ad ſententiam SCHEFFERI redeamus, quam licet ſic ſatis firmis ipſe non ſuperſtruxerit fundamentis, alia tamen non deſunt, quæ fidem facere poſſint. Ejusmodi temporis momento conſcriptum fuiſſe Libellum, quo Rex, in immatura ætate conſtitutus, ad imperium capeſſendum erudiretur, extra dubitationem ponit,

 cum

a) *MESSEN. Scond. Illuſtr. T. III. p. 9.*

b) *WILDE Hiſt. Pragm. p. 405.* cujus de Cleri benevolentia mentem videre licet *ibid. p. 406.*

cum argumentum ejus, tum methodus, qua tractatur. Tres vero tantummodo poſt FAMILIAM ERICIANAM nobis ſiſtit periodos, in quas hoc quadret, Hiſtoria Patriæ, de quarum prima, WALDEMARI ſcilicet, cogitare nos prohibet ætas ÆGIDII ROMANI, in Libro a noſtro ſæpius citato, quam WALDEMARUS annis aliquot anteceſſit *c*). De altera, BIRGERI MAGNI, mox dicemus, ubi ad ſententiam Celeb. WILDE fuerit perventum. Qui autem noverit, crebras adeo & continuas fere mutationes ſubiiſſe Linguam Suiogothicam, ex quo recepta in Patriam fuit Religio Chriſtiana, ut ſingularis cuique ætati fuerit loquendi ſcribendique ratio: qui inſuper monumenta ex priori dimidio ſeculi XIV, in quod incidit minorennitas MAGNI ERICI, nobis relicta cum Auctore noſtro contulerit, facile deprehendet, eam illorum convenientiam, quæ coævos illos fuiſſe cuivis perſvadeat. Neque parum roboris huic perſvaſioni inde accedit, quod pluribus locis ad res hujus temporis & proxime antecedentis digitum intendere videatur. Caſum Regis BIRGERI, avaritiæ Ejus, injuſtitiæ nimioque in exteros favori magnam partem adſcribendum, reſpexiſſe Auctorem, quis non ſuſpicabitur, qui legerit pag. 76, *Ok thes hawom ympna Åptedôme bade ny ok fornt, at almoge hawir fôrdârwat giruga ok orâtta kununga ok hôfdinga ſina* i. e. *Et habemus rei hujus exempla plurima vetera novaque, quod multitudo Reges Principesque ſuos avaros injuſtos-*

c) Floruit hic circa annum 1282, teſte JÖCKERO in *Gelehrte Lexic.*

ſtosque in exitium præcipitavit, hæcque comparaverit cum iis, quæ exſtant pag. 183. *Ok år thet warnande, at rikeſins fåſte ſans* (lege *ſaas*) *eij i håndr utlåndzkom mannom d*), *ty at ther år opta afkumin ſvik ok fördårwilſe landa*, i. e. *Inprimis id cavendum, ne regni munimenta peregrinorum fidei committantur, ita enim ſæpe fraus facta & detrimentum multiplex regno allatum eſt?* Iniquitatem, cujus inſimulabatur MAGNUS LADULÅS Decreto Comitiali, vulgo *Helge Ands Holms Beſlut*, vix dubitamus, quin carpat Auctor *e*) pag. 150. *Nu hawa eij orätte kununga ok ille höfdinga thön athåwe, utan the låggia öde gamalt kronona gods, ok riwa ok röwa med olagum ok walzgårningom af ſpakum mannum thera gods ok fåderne ok wilja hawa ok byggia hwarn ſtat i ångiom ok öjom, i ſkogom ok watnom, ther thöm tikkie vara wånt, luſtelikt gods ok fagra waru, ſwa at ther ångiu ånde ålla aterwånda år a thera giri*, i. e. *Aliter ſeſe gerunt Regis Principesque mali, nam antiqua Regni bona perdunt deſolatione, quietioribus ſua bona & hæreditate quæſitas opes per injuriam & vim eripiunt, omnia denique loca occupare ſuis quærunt ædificiis, prata & inſulas, ſylvas & flumina, ubi ipſis videntur comparere aliqua ad uſum voluptatemque pertinentia, & habitationem facientia jucundam, ſic ut finis nul-*

d) Quam parum Svecanis MAGNI ERICI temporibus probati fuerint extranei, colligitur ex *Cod. Leg. Dat. 1347 Kon. Balk. Cap. 4. §. 4.* Expreſſe hic locus, munimenta ne peregrinis tradantur, prohibet.

e) Eandem inflant tibiam de MAGNO LADULÅS & BIRGERO Ordines Regni in Lit. quibus ad jus Regni & Privilegia ſervanda ſeſe adſtringebant anno 1319. apud HADORPH. *L. c. p. 11.* Cfr. v. DALIN *l. c. P. II. p. 280, in notis*, ubi MAGNUM tributa a ſubditis exegiſſe extraordinaria, probatur.

nullus ſit aut requies cupiditatibus ipſorum. Etenim cauſſas hoc modo in bona civium involandi ex ſplendido & ſumtuoſo aulæ adparatu, qualis tempore MAGNI LADULÅS fuiſſe dicitur, derivat pag. 151. Ad crudele illud fratricidium *Nycopenſe* alludere videtur pag. 152. & 153. *Förſt trugar han herra ok wålborna mån, ok rådes han thera makt, ta taker han af thôm lif ok godz thera, ok akta ånkte utan frâmia ſin ågin wilia. Ok ty at måktuge ok wålbyrduga herra wilia ey tula trug ok walzgårninga hans, ta ſåtia the ſik med almoga mot hanom ok hans grymum athåwom, ta huxa han huru han ma thôm ok thera lif fördårwa, ok han akta ånkte, utan frâmia wilia och walzgårninga ſina ok ſpar thr til ânxins mans lif, hvad the åru bröder ålla frånder hans. Han taker til, med waldzgårningom ok illom radom thera lif fördårwa, hvilka led han förma, med förgårningom, förderwilſom, fångilſom ok fulan död.* i. e. *Primum, premit viros genere ac origine claros, ſique potentiam eorum metuit vita bonisque eos ſpoliat, neque curat quidquam aliud, quam ut ſuæ ſatisfaciat libidini. Nempe viri magni genereque clari nolunt ferre vim ipſius domi-nationemque; ideoque junctis cum plebe viribus, ipſi ſeſe, crudelibusque ejus facinoribus opponunt. Quare dat operam, ut ipſos vitamque eorum perdat, neque curat quidquam, quam ut ſuæ ſatisfaciat libidini, ad quod neminis parcet vitæ, ſive fratres ſint ſive cognati. Vitam eorum per vim malaque conſilia quærit peſſumdare, quocunque poteſt modo, veneficiis, conculcatione, captivitate fœdaque morte.* Denique ubi pag. 27 de prærogativis Regni hæreditarii præ electivo copioſe

ſe diſſerit, inter hujus incommoda quoque refert, quod æque frequenter, vacante ſolio Regali, eligantur pueri ac impuberes, quam ſpectati viri, illosque plus nocuiſſe publico, experiri regionem illam, in qua talia evenerint, contendit. His vero illum reſpexiſſe ad WALDEMARUM ipſumque MAGNUM ERICI, quorum uterque puer Rex fuerat electus, nonne magna cum veritatis ſpecie nobis perſvadebimus? Si autem hæc conjunctim ſumantur argumenta, quibus & plura addere poſſemus, admodum probabilem faciunt editam a nobis Libri ætatem; quin etiam valori illorum nihil detrahere, quæ a Celeb. WILDE contra adferuntur, exiſtimamus. MATTHIAM KETILMUNDI, qui TORKILLI fatis edoctus Clericis magis blandiri ſciebat, permittere nihilominus potuiſſe, ut illorum poteſtatem hicce non commendaret Libellus, veriſimile eſt *f*). Contra vero credi non poteſt, TORKILLUM CANUTI, locupletandi fiſci cupidiſſimum *g*), laudatum *Decretum Comitiale*, quod tantopere illos augeret, impugnaturum, atque ſuas ſic ipſius deſtructurum rationes politicas. Præſidium, in quod advocat verba: *Skipa ok aftaka domara*, etiamſi ad mentem Celeb. WILDE illa explicemus *h*), evaneſcit, dum meminimus,

D Le-

f) Fieri etiam potuit, ut nec hunc umquam viderit MATTHIAS KETILMUNDI; & de cetero, ſi Nob. v. DALIN. *l. c. p.* 420. & *Celeb.* WILDE *l. c. p.* 400. fides habeatur, nondum his temporibus memoria excidere paſſi ſunt *Ducum* ERICI & WALDEMARI amici, horum improſpera fata, magnam partem Clericis adſcribenda. Cfr. *Lit. Ordinum apud HADORPH. L. c. p.* 11.

g) Cfr. *WILDE L. c. p.* 397. *& v. DALIN l. c. pag.* 315.

h) Aliam videlicet hæc verba interpretandi viam ingreſſus eſt SCHEFFERUS *in notis ad pag. Auct.*

Leges MAGNI ERICI, quibus mutata fuit Judices Territoriales eligendi & conſtituendi conſvetudo, non ante annum 1347. conditas fuiſſe *i*). Quin potius hinc noſtra ex parte concludere licebit, Librum ante hunc annum, & quidem ſub minorennitate Regis eſſe compoſitum. Cauſſæ denique odii Clericorum, in quod inciderat TORKILLUS CANUTI, cum jam non lateant, neceſſe non eſt, ut ab hoc ſcripto, tamquam fonte, deriventur. Celeb. WILDE, cui conſenſerunt v. DALIN *k*) & v. STIERNMAN *l*), cum iisdem rationibus innixi fuerint, iisdem quoque refelluntur, nobiscum præterea facientibus Celeberimo LUNDIO *m*) & Dom. PRÆSIDE *n*).

§. 8.

Si vero in eruenda e tenebris, quibus obvoluta eſt, hujus Libri ætate veritatis aliquam ſpeciem ægre adſecuti ſumus, eandem longe difficilius inveniemus, ubi de Auctore ejus inſtituitur quæſtio. HENRICO *ArchiEp. Upſalienſi* illum tribuendum conjicit SCHEFFERUS; cum vero ille anno 1408. mortuus fide dignis monumentis probetur *o*), adeoque fieri potuerit, ut & imperium & vitam depoſuerit MAGNUS ERICI, antequam natus esſet HENRICUS, nemo non viderit, tam inſigni parachron-

168. De *Sententiis* (Domar) explicans, quæ de *Iudicibus* (Domare) Cel. *WILDE.*

i) *MESSENII Scond. Illuſtr. T. II. p. 81.*

k) *Hiſt. Svec. T. II. p. 312.*

l) *Tal om Wetenſkapernes tilſtånd i Sverige &c. pag. 103.*

m) *Loco ſupra citato.*

n) *Vetuſt. Catal. Reg. Sviog. P. I. pag. 11. Cfr. Lårda Tidn. 1753. N:o 87.*

o) *Chron. ArchiEp. a SCHEFF. edit. pag. 86.*

chronismo idoneam fundari non poſſe conjecturam. Cel. WILDE, &, qui illum ſecuti ſunt, v. DALIN & v. STIERNMAN ipſum TORKILLUM CANUTI Librum compoſuiſſe crediderunt. Sed, præterquam quod ad ejus tempora referri non poſſit, id quod antea indicavimus, aliunde non conſtat, ceteris ſuis meritis eos in literis profectus adjunxiſſe TORKILLUM, qui huic operi contexendo ſufficerent. Clericum præterea auctorem indicare videntur frequentia, quæ Liber prodit, Sacrarum Literarum peritiæ veſtigia. Neque difficile foret, ex Ordine hujus temporis eccleſiaſtico, plures nominare, qui illum conſcribere fortaſſis potuerint, in his *Epiſcopum Lincopienſem*, CAROLUM BATYR, qui ob ſtudium Regem BIRGERUM cum Fratribus conciliandi & ſingularem in MAGNUM puerum amorem, laudatur *p*), *Magiſtrum* PHILIPPUM, circa annum 1322. *Regis Cancellarium q*), *ISRAELEM ERLANDI* (ÅNGEL) *Epiſc. Aroſ. Vitæ & miraculorum Sancti ERICI Regis* Auctorem, ad annum 1330 *r*), alios. Sed cum omnibus his æquali jure adjudicetur, tutius in medio res ea relinquitur.

§. 9.

Certiori autem via progredi poſſumus ad indicandos auctores, quibus uſus Noſter, quis demumcunque ſit, in compoſitione ſui operis. Illos enim ubique fere ipſe nomi-

p) *RHYZELII Epiſcopoſc. Sviogoth. P. I. p.* 108, 109.

q) *NIGRI Hiſtor. Epiſc. Aroſ. pag.* 84.

r) *Ibid. pag.* 11. & 50. *Cfr. v. STIERNM. Tal om Wetenſkap. tilſtånd &c. p.* 85.

minat, junctimque ſiſtit peculiaris index a BURÆO adornatus. Sunt vero e Sacris varii Libri, & præ ceteris *Liber Sapientiæ*, quem vocat *Snilleboken*; e profanis: ÆGIDIUS *Romanus*, ARISTOTELES, AUGUSTINUS, SENECA & aliquot ANONYMI, quos inter Svecanus quidam, qui incipit: *Enok het Madher.* Hos interdum confundens, SALOMONI adſcribit, quæ deſumſit ex *Libro Siracidis* & ARISTOTELI quæ ex FLAVII VEGETII Libro *de Re Militari* excerpſit. Libri *de Quatuor Virtutibus Cardinalibus*, quem a pag. 50. ad pag. 66. ferme integrum inſeruit, SENECAM Auctorem facit *s*) quod tamen eo minus mirari convenit, quum manuſcriptus hujus Libelli Codex, in *Biblioth. Reg. Acad. Upſ.* SENECÆ nomen præferat *t*), & inter opera SENECÆ, edita *Baſiliæ 1515, in folio*, quoque compareat.

Cap.

s) MARTINO contra *Epiſcopo Dumienſisque Cœnobii Abbati* tribui debere, probavit SCHEFFERUS *in Not. ad pag. Auct. 49.*

t) Idem de ſuo Codice M:ſc. tradit SCHEFFERUS *l. c.* & GESNERUS *in Bibliotheca* perhibet, ad ſua usque tempora SENECÆ hoc opuſculum communi adſcriptum fuiſſe opinione. Codicem ejus memoratum, quem poſſidet *Bibliotheca*, qui in multis illo *Baſileæ* edito, de quo ſupra diximus, eſt adcuratior, ſecum in patriam tulit *Monachus Wadſtenenſis, frater THORIRUS*, primus *Diarii Wadſtenenſis* Auctor. Miſſus ſcilicet erat is 1414. *pro arduo negotio Monaſterii verſus Romanam curiam, vel Concilium Generale protunc in civitate Conſtantienſi futurum* (vid. *Diar. Wadſten. pag. 52.*) & plures in eodem Volumine Codices *Conſtantiæ* anno 1417. exarati deprehenduntur.

MONUMENTA SUIOGOTHICA VETUSTIORIS ÆVI FALSO MERITOQUE SUSPECTA.

CONTINUATIONEM I,

Venia Ampl. Facult. Philoſ. Upſ.

EXHIBENT

CAROLUS GUST. NORDIN,

Phil. Mag. & ad Biblioth. Reg. Upſ. Aman. Extra Ord.

Atque

ERICUS JOHANNES DILLNER,

Jemtlandi.

In Aud. Carol. Min. d. 21 Junii 1774.

UPSALIÆ,

Typis EDMANNIANIS.

JOH. AX. ALMQUISTS BOKSAMLING

S:Æ R:Æ M:TIS

SUBCUBICULARIO,

GENEROSO NOBILISSIMOQUE

VIRO AC DOMINO,

DOM. CAROLO WILH. ISERHJELM,

PATRONO INDULGENTISSIMO,

Hoc in devotiſſimi teſſeram animi ſacratum eſſe voluit, debuit,

GENEROSI & NOBILISSIMI NOMINIS TUI

Cultor humillimus,

ERICUS JOH. DILLNER.

Caput Secundum.
Fragmentum Manuſcripti Runici:
Hialmars och Ramers Saga.

§. I.

Qui primus hoc monumentum in lucem protulit, LUCAS HALPAP *a*), Diſſertatione Academica, Præſide JOHANNE BILBERG, *Matheſeos* tum *Profeſſore*, deinde *Strengneſenſis Diœceſeos Epiſcopo*, *Upſaliæ* 1690. d. 6 Junii propoſitum *b*); illud ante menſes aliquot a ſe repertum jactitavit apud ruſticum quemdam *c*), & contemnendo pretio comparatum. Fatebatur quidem prior poſſeſſor, multo plura ſe ejusdem operis folia habuiſſe; ſed quæ alios in uſus converterat; immo acrius urgente HALPAPO, adhuc aliqua domi lacera ſervari affirmabat, quæ tamen cum promeret, pice & axungia adeo oppleta erant, ut non niſi pauca inde excerpi poſſent, publico exhibenda. Hæc vero fragmenta, licet non alio opere, quam interpretatione vernacula,

a) Erat ille natione Stockholmenſis & Judicis Territorialis in Uplandia JOACHIMI HALPAP frater natu major. *v. Album Nat. Stockh. ad annum 1688.*

b) Diſſertationis hujus, utpote rarioris, aliquam dabimus deſcriptionem. Duplicem præfert titulum: Alterum: *Fragmentum Manuſcripti Runici cum interpretatione vernacula, nec non Aphoriſmi ſelecti &c.* Alterum: *Hialmars och Ramers Saga, med Lucas Halpaps uttolkning.* Principi Hereditario CAROLO *XII.* dicata, OL. RUDBECKII & JOH. BILBERGII gratulationibus ad Reſpondentem ornata eſt. Præmittitur Præfatio brevis, ex qua, quæ ſupra attulimus, excerpta. Textus Runis expreſſus adverſis paginis junctam habet verſionem Suecanam pagg. 39 in 8:vo. Aphoriſmi rem non attingunt.

c) In prædio, milliari ab *Upſalia* diſtante. ER. BENZELII *Utkaſt til Sv. Folk. Hiſt.* p. 63.

la, eaque ad verbum facta, illuſtrata jam prodirent; prius quippe conſilium notulas quasdam adjiciendi, ſuumque de ætate Hiſtoriolæ proferendi judicium mutaverat Editor; communi tamen eruditorum applauſu excipiebantur, utpote quæ non parum roboris adderent opinionibus, quas de Patriæ noſtræ ſtatu ſub gentiliſmo formaverant. Digna igitur cenſuit Nobiliſſimus ſuisque in Hiſtoriam Patriæ meritis Celeberrimus JOHANNES PERINGSKIÖLD, non tantum quæ editione, textum Runicum tabulis ligneis inciſum, & ſingulorum Membranæ foliorum numerum & magnitudinem ſiſtente, denuo exhiberentur *d*), verum etiam quæ ad Celeberrimum *Doctorem Anglum*, HICKESIUM, transmitterentur, in ſplendido illius & ſub prelo tum ſudante *Theſauro Linguarum Septentrionalium* locum inventura *e*). Conſtat cum ex ipſius PERINGSKIÖLDII, tum aliorum ſcriptis, illum præter geminam verſionem, Latinam & Svecanam, quæ in laudata editione adeſt, notas quoque & animadverſiones, textum illuſtraturas, molitum eſſe *f*); unde mirari convenit, earundem nec volam nec veſtigium in exemplaribus, quæ hodie

d) Prodiit editio PERINGSKIÖLDII, ineunte hoc ſeculo, ſine loci & anni mentione in Folio, ſub Tit. *Hiſtoria Hialmari Regis Biarmlandiæ atque Thulemarkiæ ex Fragmento Runici, Mſ:ti literis recentioribus deſcripta cum gemina verſione JOHANN. PERINGSKIÖLDII.* Occurrunt primo folia Mſ:ti Runici numero VIII. ligneis tabulis inciſa et ea adcuratione ad formam membranæ accommodata, ut paginæ in illa, vel nudæ, vel obliteratæ, vacuæ ſiſtantur ſingulæque exprimantur lacunæ. Hæc excipit textus Runicus literis Svecicis prolatus, cui ex adverſis paginis, quæ columnis diſtinguuntur, reſpondet verſio Svecana & Latina. Et in illo quidem loca nonnulla a HALPAPO prætermiſſa vertit PERINGSKIÖLDIUS, ut fol. III. p. 1. 2, VI. 2. VII. 1. 2. in hac nonnulla alio modo interpretatur, ut IV. 1. VI. 2.

e) Inſerta *Diſſertationi Epiſtolari ad Equit. Aur.* BARTHOL. SHOWERE Tom. I. p. 123. in omnibus ad edit. PERINGSK. impreſſa, præterquam quod deeſt verſio Svecana.

f) *PERINGSK. Prolegom. ad Vit.* THEODOR. Von der HARDTS *Holmia Litterata*, p. m. 35.

die circumferuntur, inveniri. Interim tamen, quantum ex indice *Operum* PERINGSKIÖLDIANORUM, quem a manu ipſius profectum ſuſpicamur *g*), colligere poſſumus, octo ſeculorum ætatem fragmento huic adtribuit, & proinde exarato, florente adhuc his in terris gentiliſmo. PERINGSKIÖLDIO &, qui illum ſequitur HICKESIO *h*) in annis aſſignandis liberalior, OLAUS RUDBECK ad ſeculum ſeptimum illud refert *i*); parcior ANDR. ANT. v. STIERNMAN monumentis adnumerat, quæ ad finem ſeculi X vel ad initium XI manus effugere Chriſtianorum, omnia, quæ gentiliſmum ſaperent, inconſulto zelo diripientium *k*). ERICUS JUL. BIÖRNER Hiſtoriam compoſitam ſeculo undecimo; exemplum vero, quod invenit HALPAP, apographum, idque noviſſimæ paganiſmi ætatis, ſeculi videlicet duodecimi, exiſtimat *l*); & in illo quidem ANONYMUM noſtra ætate conſentientem habuit *m*). Neque videbantur in ipſa Hiſtoria loca deeſſe, quæ antiquitatis opinionem cuivis inſinuarent; vota ſcilicet THOR atque FREI a HIALMARO nuncupata: nomina Deorum gentilium THOR, ODIN, FREI & SONE (forte ſolis) literis aureis conſpicua: tentamina & molitiones ad abolendum cultum idololatricum factæ: fanum in honorem JUMALÆ erectum & ab OLAVO quodam ſpoliatum: profligati denique ad *Signilberg* prope *Sigtunam* idoli hujus ſacerdotes, inde vero in *Vinlandiam* expulſi, & quæ ſunt reliqua ejusdem farraginis. Auctorem Fragmenti tanta vetuſtatis caligine obfuſcati, inveſtigari non potuiſſe nemo mirabatur, præſertim cum nihil de ſe ipſe indicarit, niſi quod in fine patrem ſuum

E 2 HRO-

g) Ibid.
h) l. c.
i) *Atlantica* Tom. III. p. 4.
k) *Tal om Wetenſk. tilſtånd* &c. p. 26. cfr. tamen p. 22.
l) *Introd. in Antiq. Hyp. Goth.* p. 50. 51.
m) *Brefvåxling emellan tvånne vänner angående et Bihang til v. STIERNMANS Tal, om Lårda Wetenſk. tilſtånd,* &c. p. 52.

HRODURUM *Vinlandiæ* habitatorem, ad quem confugerent diſpulſi ſacerdotes, nominaverit. In locum ubi ſcripta fuerat, eandem ob cauſam felicius eſſe non poterat inquirendi ſtudium; BIÖRNERO licet perſvaſum esſet, illam *Sveciæ* deberi *n*), in quo neque nos in ſequentibus habebit diſſentientes. In eo vero cum PERINGSKIÖLDIO conſpirarunt omnes, quod, præter alia *Sveciæ* honori inſervitura, *luculentum præberet teſtimonium de uſu & ratione veteris ſcripturæ Runicæ, vigente per orbem paganiſmo, maximopere uſitatæ o*).

§. II.

Verum non iis rationibus ſuperſtructum erat hoc judicium, ut diu conſiſtere, aliisque, quorum animos nimium antiquitatis Sviogothicæ ſtudium ita non præoccupaverat, probare ſeſe poſſet. Vix enim ingreſſo ſeculo, quo vivimus, adeoque eo ipſo tempore, quo iterum edebatur Fragmentum hoc, γνησιότητα ejus in dubium vocare coeperunt Duumviri, Septentrionalis Hiſtoriæ Lumina, *Daniæ Hiſtoriographus* OTTO SPERLING, & *Sveciæ ArchiEpiſcopus*, ERICUS BENZELIUS. Et ille quidem, ut nullius auribus parcere opus habebat, liberius *p*); hic vero noſter cautius, utpote qui tranquillitatem amabat, quæ cum ejusmodi vel leviſſimis ſuſpicionibus, publice prolatis, his temporibus nullo modo conſtare potuit. Erat quippe Antiquariis is animus, is ardor, ut qui contra Patriæ antiquitatem ultra ſecula prove-

n) l. c. p. 50.

o) *Prolegom. in Vit.* THEODORICI.

p) BIÖRNERI *Epiſt. Reſp. ad* OL. CELSIUM p. 7. cfr. ERICHSSON *Biblioth. Runica* p. 28. Ex. BIÖRNERI *Cogit. de Orthographia Linguæ Suiog.* p. 21. conjicio SPERLINGIUM, *Literis ad Illuſtr.* GRUNNERUM dat. 1701. ſententiam ſuam protuliſſe, cum vero nondum has inveſtigare potuerim, neque in aliis ejus ſcriptis aliquid hanc ad rem invenerim, rationes, quibus commotus fuit, afferre nequeo.

vehendam, quam cum ejus gloria ſemper conjunxerant, vel tantillum dubioli movere auderent, eos in pœnam legibus dari, duræque ipſorum cervici impactos lapides Runicos cum VERELIO optarent plerique *q*). Ad *Collegium* igitur in Hiſtoria Svecana a ſe privatim habitum annotavit tantum BENZELIUS, vereri ſe, ne Hiſtoria hæc a BURÆO ſit ſuppoſita, idque ipſo *Herſeri* nomine, quod in fronte adeſt, probabile videri *r*), Suſpicionem aliquam, ſequiori licet tempore, animo verſare etiam videtur antea Fragmento noſtro favens *s*) OLAUS CELSIUS Pater, vix capere ſe profeſſus, qui fiat, ut in eo N conjunctum literæ þ ſæpius conſpiciatur, dum hujus ea eſt indoles, ut τω N proximum ante ſe locum ægre concedat *t*). Parentis ſententiam amplexus eſt Filius Celeberr. D. Doct. OL. CELSIUS, exiſtimans cum ipſa membrana, tum ſcriptoris ſupina vetuſtæ linguæ Gothicæ ignorantia, alterius cujusdam ANNII male ſedulam operam prodi *u*). His calculum addere quoque non dubitat JOH. ERICHSSON, *Paſtor Starkauenſis* in *Pomerania x*); immo etiam ſuum, qui rem non tam confirmat, quam pæne conficit, quemque ideo ultimo loco poſuimus, adjicit ſummus noſter Criticus, *Reg. Canc. Conſiliarius* JOH. IHRE *y*). Tanta legendo veſtigia audaciores etiam nos, poſtquam ipſum Fragmentum, qua potuimus diligentia, examinavimus, ingenue profitemur, plurima fuiſſe, quæ eandem nobis opinionem inſinuaverint. Hæc vero jam indicanda nobis ſumimus, haud dubia probaturi fide, iis ſimul conſideratis, totam Hiſtoriam in recen-

q) VERELII *Epit. Hiſt. Svio g.* p. 2.

r) *Utkaſt til Sv. Folk. Hiſt.* p. 63.

s) *Diſſert. de Abari.* Upſ. 1703. 8:o I. 3.

t) *Act. Lit. Svec. Vol. III. p. 89.*

u) *Svea Rikes* Kyrko-*Hiſtoria* D. I. p. 23.

x) *Biblioth. Runica* p. 28.

y) *Diſſert.* D. UN. v. TROIL *De Runarum in Svecia Antiquitate* p. 42 & D. ER. GÖTLIN *de Runarum in Svecia Occaſu* p. 14. & 23.

centioribus cujuſdam ingenii, ejusque non adeo circumſpecti, ſpurium fœtum abire.

§. III.

Hiſtoricas primum Auctoris noſtri narrationes ſi examini ſubjiciamus, quam parum fidei mereantur, mox omnibus patebit. Ex plurimis, quas hinc, inde, inſperſit, nos brevitati litantes, nonnullas tantum notabimus, ſed eas ad aſſertionem noſtram probandam omnino ſufficientes.

Fol. IV. p. 1. *Biarmlanthi - - thath ligr amilli thulemarkn aug gandvik firi auſtan kioln.* i. e. *Biarmalandia ſita eſt inter Thulemarkiam atque Gandvikiam, ultra orientale latus jugi montium.* Ambarum Regionum, quibus ſuam *Biarmalandiam* circumſcribi dicit Auctor, ſitum hodie non adeo ignoramus, ut fugere nos poſſit, quam male hæc cohæreant. *Thulemark* enim, a JOHANNE MAGNI *Tylemark* z), ab Islandis & Norvegis *Thelemark* & *Tillemark* dicta, partem conſtituebat inferiorem *Præfecturæ Aggerhuſenſis* in *Norvegia* a). *Maris Albi*, ut hodie loquimur, antiquum in Septentrione nomen erat *Gandvik* b) cujus etiamnum forte aliqua ſuperſunt veſtigia in *Candnoes* ad orientalem & *Kandalax* ad occidentalem plagam illius ſitis c). Hos jam intra fines & *firi auſtan Kioln*, quod addit Fragmentum, quoque indicatur orientale latus illius mon-

z) *Mappa Geogr. Scandiæ in Hiſt. Goth. Sveorumque* ed. *Baſil.* 1558. p. 17. Quod *Thulemarkiæ* nomen placuit ante hoc Fragmentum editum videre licet apud VEREL. in *Nott. ad Hervor Hiſt. p,* 18.

a) *JAILOTT Atlas*, *Map. Geogr. Scand.* collat. cum JOH. M. l. nup. cit.

b) Vid VEREL. *Not in Herv. Hiſt.* ubi, ex STURLONIDIS carmine in honorem Regis HAQUINI, limites *Regni Norvegici* exprimit. *Heims Kr.* p. 2. 623. T. I. Cfr. SCHÖNINGS *Fórſók til de Nordiſke Landes Gamla Geographie.* p. 54. 66. & paſſim; necnon *Map. Geogr.* OL. M. in *Hiſt. Rer. Sept.* ed. *Baſil.* 1567 ac JOH. M. l. c.

c) JAILLOT. l. c. & HOMAN. *Atl. Map. Scand.*

montium jugi, quo *Svecia* & *Norvegia* ſeparantur, ſi *Biarmalandiam* quæramus, ſuo ambitu complecteretur non *Dalekarliam* modo *Jemtiamque*, ſed & *Lapponiam* noſtram integram, aliasque forte regiones, quas definire non poſſumus, cum non ſignificaverit Fragmentum, quousque in latitudinem ſeſe *Biarmalandia* protenderet. Quam longe hæc a vero abſint, non eſt, quod multis probatum eamus; cum in itineribus HIORLEIFI *d*), THORERI HALEGG *e*) THORERI HUND *f*), ERICI BLODÖXE *g*), HARALDI GRÅFÄLL *h*), ac Mappis Geogr. JOHANNIS MAGNI Fratrisque OLAVI dudum ſtabilita ſit veteris *Biarmalandiæ* ſedes ad litora *Maris Albi*, & quidem circa celebris illius Emporii terminos, quod hodie *Archangel* nominamus. Verum tamen non ſine ratione *Biarmalandiæ* tantam amplitudinem adjicit Fragmentum noſtrum. Favere enim debebat SCHEFFERO, qui primus, quantum novimus, *Lapponiam Biarmalandiam* fecerat eamque *Sinui Bothnico*, quem veterum *Gandvik* ideo putabat, admoverat *i*). Et cum antea Antiquarii peramœnum locum *Glæſſisvallir*, *Biarmalandiæ*, ut aliunde conſtat *k*), vicinum

d) *Sagu-Thattur af ALF Kong och Reckum hans* p. 6.

e) *ANS BOGESVEIGERS Saga* p. 31 32.

f) *Heims Kringla*, T. I. p. 618. ſeqq.

g) *Ibid.* T. I p. 110.

h) *Ibid.* T. I. p. 185. Cfr. SCHÖNINGS *Förſök til Gamla Geogr.* pag. 8, 54, 64, & paſſim. Ex Cod. Island. M:ſcr. Bibl. Reg. Acad. N. 21. in Donat. DE LA GARD. *Svithiod liggr firi auſtan Danmerk. Noregr firi nordan. Finmark nordr af Noregi, tha vijkur til landnordurs och auſturs, adr en kemur til Biörmalands, that er ſkattgiltt under Gardariki.* Vid. p. 53.

i) SCHEFFERI *Lapp. Illuſtr.* p. 11. Cum enim non meminiſſet *Norvegiæ* ultimam partem, verſus *Mare Album*, antiquitus, æque ac nunc, a *Lapponibus* habitatam, *Finmarkiæ* nomine inſigniri, SAXONIS GRAMMATICI verba p. m. 150. alio modo intelligere non potuit, quam *Biarmiam Finlandiæ* admovendo & *Gandvik* in *ſinum Bothnicum* transferendo.

k) HERRAUDS och BOSES Saga p. 28. 55.

num, in Helſingiam tranſtuliſſent *l*); etiam *Biarmalandia* huic loco propius erat trahenda, & *Gliſisvollir* in eadem pagina injicienda mentio, ne hæc ſententia, adeoque honor Patriæ ſuo robore deſtituerentur.

Fol. V. p. 1. Narratur HARKE in carcere proxima poſt pugnam nocte animam exſpiraſſe, *thui hafdi Hramr reit bonum blodir a bake a barati*, i. e. ſecundum PERINGSKIÖLD. *quoniam lethale vulnus a tergo ei inflixerat Hramerus.* Pœnæ genus acerbiſſimum, quod *riſta Blodaurn* veteres dicebant, quoque imprimis parentum & amicorum mortem ulciſcebantur, hiſce reſpicere auctorem manifeſtum eſt; verum ita, ut ſimul ſummam moris antiqui prodat ignorantiam. Videbimus paulliſper, quomodo pœna iſta miſeris infligeretur. *Norna Gáſts Hiſtoria*, LINGUI *Hundingi* Regis filium ea interfectum commemorans, hæc habet: *Reiginn lagdi that til rads, at riſta ſkyldi blod-aurn a baki bonum. Tok Reiginn tha vid ſuerdi ſinn, oc ræſt med thui Lingu'a, ſua at han ſkar rifin fra brigginum, oc dro thar ut lungun, ſua do Lingui: Tha kuad REIGINN:*

Nu er blodugr aurn
Breidum biorvi
Bana Sigmundar
A baki riſtinn. *m*)

i. e. *Reiginus conſilium dabat, cruentam aquilam dorſo ejus incidendam. Capiebat tunc Reiginus gladium ſuum & Linguum ita feriebat, ut, coſtis a ſpina diſſecatis, pulmones extraheret; tunc canebat Reiginus: jam cruenta aquila lato enſe Sigmundi exitio* (interfectori) *dorſo inciſa.* Non multum abludunt, quæ de RAGNARO *Lodbrok* adfert illius *Hiſtoria n*), licet de nomine ſupplicii non conveniat inter

l) RUDB. *Atlant.* T. I. p. 627. VEREL. *Not. ad Hervor. Hiſt.* p. 20.

m) p. 14. in BIÖRNERI *Kämpad.*

n) p. 60. ibidem.

ter BIÖRNERUM, v. DALIN *o*) & WORMIUM *p*), ille quippe *Orm*, hic *Örn*, & iſte *Blodugla* legit. Ejusdem crudelitatis ſpecimen in HALFDANUM, HARALDI *Hårfager* filium, editum narrat hujus *Hiſtoria q*): *Tha geck Einar Jarl til Halfdanar, han reiſt õrn a baki honom vith theim hætti, at hann lagthi ſverthi a hol vith hriginn oc reiſt rifinn õll ofan a lendar, dro thar ut lungon i. e. Tum Halfdanum aggrediebatur Einarus Jarl, incidebat aquilam dorſo ejus eo modo, ut gladio perforaverit inteſtina circa dorſum & diſſecaverit omnes coſtas ſupra lumbos, atque pulmones ſic evulſerit;* & de BRUSÆ interitu, in *Hiſtoria Orm Storolfs ſonar* hæc leguntur *r*) *Ormur brá ſaxi og riſte blodrefill a bak Bruſa, og ſkar oll rifinn fra bryggium, og dro thar ut lungun*: i. e. *Gladium ſuum evaginavit Ormerus & coſtas a ſpina dorſi ſeparavit, indeque pulmones extraxit.* Quæ omnia ſatis ſuperque probant, ſupplicium hocce non ejusmodi fuiſſe, ut tanta celeritate alicui infligi potuerit, quanta opus eſſet media in pugna; neque illo affectum, exſectis die pulmonibus, vitam in noctem producere potuiſſe.

Fol. VI. p. 1. Cornu, cui inſculptæ conſpiciebantur imagines, in honorem THOR, ODIN & FREI mentionem faciens Auctor, nihil quidem habet, quod ſexum hujus idoli, ſcil. FREI, Deus, Deane fuerit, indicet; ſed cum fol. V. p. 2. iterum illud commemorat, bis addito pronomine relativo feminini generis *Hun*, erroris ſe arguit, ſequioris ævi Hiſtoricis vix condonandi, multo minus ferendi in ſcriptore, qui numinis hujus cultui coævus exiſtimari vellet. Si Deam indigitet, quam ſub FRIG-

o) *Svea Rikes Hiſt.* Tom. I. p. 520.

p) *Lexic. Runic.* pag. 18.

q) *Heims Kr.* T. I. p. 107. Hæc omnino verba etiam leguntur in *Jarla Saga*, quæ tamen *blodörn* pro *örn* habet. *Torf. Hiſt. Rer. Orcad.* p. 19. item *Wormius* l. c.

r) *Wormius* l. c.

GÆ aut FREYÆ nomine majores noſtri cultu proſequebantur, obſervamus illam neque FREI umquam appellatam neque THORONI & ODINO a latere junctam fuiſſe. Sed ſapit potius perverſam Hiſtoricorum noſtrorum opinionem de idolo, quod THORONIS ſiniſtro lateri in *Templo Upſalienſi* adhærebat, & cujus virilem ſexum, licet ſatis perſpicue ſignificaverit ADAMUS *Bremenſis s*), mutatum tamen poſtea ab auctore *Chronici Rhythmici Minoris*, a MESSENIO HADORPHIOque editi *t*) & ERICO OLAI *u*) deprehendimus; quos JOHANNES MAGNI *v*), & illius germanus OLAUS *x*), OLAUS PETRI *y*) & neſcio qui non ſequuntur. Primus vero, qui verba ADAMI recte obſervavit & intellexit, viſus mihi eſt MESSENIUS *z*), forte tamen edoctus ex iis, quæ de cultu FREJERI attulerat ARNGRIMUS JONÆ *a*), quæque certe WORMIUM hac de re dubium fecere *b*). Noſtro vero tempore, extra controverſiam poſita eſt rationibus, quas in medium produxit Generoſiſſ. *Reg. Canc. Conſil.* D. JOH. IHRE *c*). Sunt adhuc ejusmodi alia, ut quæ Fol. IV. p. 1. narrantur de ZAMOLXIS & ABARIS in *Scan-*

s) *Chorogr. Scand.* edit. *Meſſen.* p. 25.

t) Ed. illius p. 83. hujus p. 1. Hunc tamen locum non niſi ad ambigua referre audeo.

u) *Hiſt. Svec. Goth.* p. m. 3.

v) *Hiſt. Goth. Sveon.* Lib. I. Cap. IX.

x) *Hiſt. Gentium Septentr.* Lib. III. Cap. 3.

y) *Chron. Svec.* M:ſcr.

z) *Scondia Illuſtr.* T. 1. p. 8.

a) *Crymogæa* Lib. I. Cap. 7. p. m. 61, Lib. II. in *Vita Augmundi* p. m. 147. Ex his enim locis deſcriptioni cultus veterum idolatriei multa ſumſit MESSENIUS l. nup. c.

b) *Faſti Dan.* p. m. 39.

c) Vid. *Gloſſ. Svio*g. Tom. I. p. 599. ſeqq. Cfr. Differt. *Upſalia Illuſtr.* p. 33. Ad hanc ſententiam inſinuandam forte aliquantum faciat, quod *Hiſtoria* HERRAUDI & BOSI, dum nuptias in *Glæſſisvallia* celebratas tradit, referat, tria pocula in memoriam THORONIS, ODINI & FREJERI exhauſta eſſe. Vid. p. 49. ſeqq. Quæ *Hiſt. Sturlaugeri* p. 46. adfert de Templo Biarmenſi THOR & ODINN, FRYGG & FREYU dicato, ut nullius momenti prætereamus.

Scandiam acceſſu & de *Herſorum* in *Glæſſisvollir* imperio, 500 annis ante N. C.; quæ ibid. & Fol.. V. p. 2. de *Væringis* Regum in Septentrione miniſtris, & quæ ejusdem farinæ ſunt reliqua.

§. IV.

Magis jam e re eſt, ut linguæ genium, qualem exprimere conatur Fragmentum, critico oculo perluſtremur. Optime vero hoc procedet, ſi comparationem illius inſtituamus ad monumenta Runica, quæ adhuc ſuperſunt, ad Scripta STURLESONII aliorumque veterum Islandorum. Et ex illis quidem, ſaltem qua partem, utpote quæ mentitam etiam Fragmenti ætatem certe ſuperent, nullo modo provocari poteſt. STURLESONIO quoque eo tutius hoc in negotio innitimur, quod ſcripta nobis reliquerit, ad ſtilum lapidum Runicorum proxime accedentia, & quod, tantummodo ducentis circiter annis, poſtquam Fragmentum enatum ſeſe venditat, ea lingua ſcripſerit, quæ ad noſtra usque tempora, per quinque, & quod excurrit, ſecula non adeo magnas ſubiit mutationes. Quoniam vero cum STURLESONIO amiciſſime conſpirat reliquorum Islandorum ſcribendi ratio, illos etiam non inficiandos hac in cauſſa judices eligimus. Quam parum igitur ſucceſſerit conſarcinatoris ſtudium antiqui ſermonis ſpecie Fragmentum induendi, utpote non accurata ejusdem notitia ſuffultum, ſequenti ſpecimine obſervationum probatum dabimus.

Atque primo flexionem Verborum & Nominum innumeris fere locis pervertit, ita ut neque illa neque Præpoſitiones iis caſibus præfigantur, quos ſuo jure ſolent requirere. Adjectiva & Subſtantiva, quæ ſibi invicem reſponderent, diverſis ſæpe & Numeris & Caſibus ſejungit: Maſculinum pro Feminino, hoc pro Neutro & vice verſa frequenter adhibet, ut ex hiſce conſtat.

F 2 Fol.

Fol. IV. p. 1.

1. *Fra Girkia* Gen. Pl. Præpoſitio *Fra* poſcit Dativum *d*); Recte igitur *Girkium e*), Græcis.
2. *Meth Margi*. Præp. *Meth.* regit heic Dativum *f*), & quidem Plur. ob Subſtantivum *Mannum*. Recte *Margum*, Multis.
3. *Vinſele*. Recte *Vinſelir g*) (*Vinſælir*) Nom. Plur. Grati, accepti.

Theiris. Recte *Theira*, Illorum *h*).

4. *A Gliſisvollir*. Nom. Plur. *A* vero heic exigit Dativ. *i*) Recte *Gliſisvollum k*).
9. *Stiornr*. Præcedens verbum *Hafdi* poſtulat Accuſ. Sing. *Stiorn l*), Imperium, regimen.

Thulemarkn. Recte in Genit. Sing. *Thulemarkr*, quem requirit Præpoſitio *Amilli m*).

Gandvik. Acc. S. pro Genit. *Gandvikur n*).

21 *Ludrſveinr*. Cum Accuſ. jungitur verbum *kallar o*), Hinc recte. *Ludrſvein* vel *Ludrſveina* Tubicinem, Tubicines.

22. *Bua*. Inf. Act. Recte Inf. Paſſivi, *Buaſt p*), Parari.

IV.

d) *Edda* (Edit. GÖRANSSONII, quam citantes ubique reſpeximus) p. 7. 11. 88.

e) Hunc eſſe Dat. Vocis *Girkir*, *Græci*, videre licet ex *Lapide Bålingenſi* apud DIKMANNUM in *Anmårkn. vid. Runſtenarne* pag. 80. I *Girkium. Act. Lit. Sv.* Vol. II. p. 404, ubi *Lapis Spångenſis* idem docet.

f) *Gothr. & Rolf. Hiſt.* p. 61. 204. *Edda*, p. 29. 65. Alias cum Accuſat. etiam ponitur Præpoſitio *Meth*. Vid. *G. & Rolf. Hiſt.* p. 24. In primis hoc obtinet in Lapidd. Run.

g) *Frithiofs Frækna Saga*, p. 2.

h) *Edda*, p. 26. 27. *Act. Lit. Sv.* Vol. II. p. 404.

i) *Alfs Sagu-Thattr* p. 3. *Herv. S.* p. 96. 167. *G. & Rolf. Hiſt.* p. 30. *Herraudi & Boſ. Hiſt.* p. 37.

k) *Herraud. & B. Hiſt.* p. 41. 43. *a Bråvallum* p. 28.

l) *Edda* p. 4. 58. 91. *Gothr.* & Rolf. *Hiſt.* p. 91. Verbum *Hava*, *habere*, rarius in *Edda* occurrit ut auxiliare.

m) Gothr. & *Rolf. Hiſt.* p. 1. 61. *Alfs S. Thatt.* p. 3.

n) *STURLESONS Hätta-Likill.* M:ſcr.

o) *Herv. Hiſt.* p. 171.

p) *Heims Kringla* T. I. p. 247. *Gothr. & Rolf H.* p. 187.

IV. 2.

5. *Mikil.* Nom. Sing. F. G. (cfr. L. 8.) pro Dat. M. G. *Miklum*, multo, quem caſum amat Verb. *Safnadi*, Colligit. *q*).

18. *Sinum kappum.* Dat. Pl. Recte *kappa ſina*, Pugiles ſuos Accuſ, Pl. quem poſcit Verb. *Eggiadi* *r*).

V. 1.

11. *Konkr.* Nom. Sing. pro Genit. *konungs*, Regis; ſequioris ævi, *kungs.*

17. *Their.* Nom. Plur. Maſc. Gen. Illi; pro Nom. Pl. Neutr. Gen. *Thau* *s*).

18. *Rekium* Dat. Pl. pro Dat. Sing. *Rekiu* *t*) (*Reckiu*) Lecto, quod ſatis docet conjuncta vox *Eerna* (*Eina*), Uno.

V. 2.

1. *Gipti.* Imperfect. *u*) a Verbo *Gipta*, Dare in Matrimonium; Recte *Gipt*, data in Matrimonium *v*).

3. *Stiornar.* Gen. Sing. Recte *Stiorn*, Accuſ. Imperium *x*)

4. *Theim.* Dat. Sing. M. G. vel Dat. Pl. Recte Dat. Sing. Neutr. G. *Thui*, Illi, ut pronomen reſpondeat Subſt. *Riki* *y*).

q) *G. & Rolf. H.* p. 184. 187. *Herraudi Hiſt.* p. 41. *H. Kr.* T. I. p. 77.

r) *Gothr. & Rolf Hiſt.* p. 141.

s) Neſcio, anne hoc ſolum exemplum ſufficientem in ſe haberet nervum probandi. Nominativum Plur. Neutr. Gen. Pronominis Relativi, *Han*, vel etiam *Sa*, ſemper uſurpabant veteres, plures perſonas utriusque ſexus cum exprimerent. Ex centenis obſervatis, quæ omnia hoc conſtanter ſervant nonnulla tantum adferam. Lapis Run. *Hilleſiöenſis* inter BURÆANOS in 8:o edit, ord. m. IV:tus, Lapis *Oslundenſis*, cujus textus legitur apud DIKMANNUM, l.c. p. 92. Lapis *Fockſtadenſis* in *Act. Lit. Sv.* Vol. II. p. 196. Lapis *Husby-ſkædrenſis*, ibid. p. 405. *Edda*, pag. 22, 41, 44, 48, 68. Vid. *Anal. Ulphil.* p. 29. quorum Generoſiſſ. AUCTOR hoc loquendi Genus *Iſlandis* eſſe & *Majoribus* noſtris fuiſſe familiare primus obſervavit & confirmavit.

t) *Herrauds och Boſa Saga* p. 26. *Herv. S.* p. 67. *Ol. Tryggv. S.* p. 159.

u) *Herv. S.* p. 137.

v) *Ibid.* p. 103. *Gothr. & Rolf. Hiſt.* p. 69. *H. Kr.* T. I. p. 327.

x) *Gothr. & Rolf. Hiſt.* p. 91. Vid. ſupra p. præced.

y) *Gothr. & Rolf. Hiſt.* p. 205. 206. *Herrauds och B. Saga* p. 66.

7. *Tidr*. Adject. Creber. Recte *Tid*, Tempus. Nom. Sing.
10. *Theira* Gen. Pl. pro Gen. Sing. *Hennar*, Illius.
16. *Honum*. Dat. Sing. Recte in Accus. *Han*, Illum, ob verbum *Sloar*. z).

VI. 1.

2. *Hennr*. Recte in Acc. Sing. *Hana*, Illam; exigit enim antecedens *Bethith* hunc caſum a).
8. *Beriaſt* Infinit. pugnare b), pro Conjunctivo *Bariſt*; *Their baſdu bariſt*, certaſſent c).
10. *Morgi*. Ob præpoſitionem *Meth*, recte in Dat, Plur. *Morgum*, multis d), quemadmodum & Subſtantivum *Hnoſſirum*, quod tamen perperam flectit auctor, procul dubio deceptus a Nom. Pl. *Hnoſſir* e).
11. *Hnoſſirum*. Recte *Hnosſum*, Rebus pretioſis.
12. *Agietur*. Nom. Sing. Maſc. pro Neut. *Agiett*, Excellens. f).
15. *Til Brudkaup*. Acc. Sing. Exigit vero præpoſitio *Til* Genit. *Brudkaups* g), Convivii Nuptialis.
Venſamlikaſtr. Vix apud veteres occurrit ejusmodi vox; ſi vero occurreret, pro Nominativo Genitivus *Venſamlikaſta* heic obtineret.
16. *Olli lenthir men*. Nom. Plur. pro Dat. *Ollum lentum mannum*, omnibus feudatariis, ob verbum *Burdr* (biodr) h).
22. *Theim*. Dat. Sing. Maſc. pro Dat. Sing. Fœm. *Therri*, Illi.

VII. 1.

z) *Edda* p. 71. *Herr. och Boſ. Saga* p. 50.
a) *Grettirs Saga*. Ed. *Holens*. p. 183.
b) *Herr. och Bos. Sag*. p. 151. *Edda* p. 61.
c) *Herv. S*. p. 70. *Goth. & R. Hiſt*. p. 73. 254. *Herród. och Bos. S*. p. 61. 64.
d) *Gothr. & Rolf. Hiſt*. p. 204.
e) *Herv. S*. p. 90. *Edda* p. 54.
f) *Goth. & R. Hiſt*. p. 204.
g) *Edda* p. 7. 60. *Norſke Hirdſkraa* p. 115. *Herv. Hiſt*. p. 160.
h) Vid. *Grammat. Island*. JONÆ MAGNÆI. Mſcr. in Anomal. Cfr. VERELII *Index Ling. Goth*. in voce *Órſkottsbelgi* p. 194.

VII. 1.

2. *Nokrum*. Dat. Plur. licet Subſt. *ſkip* ſit Accus. Pl. & Neut. G. Recte igitur *Nokr*, Nonnulla.

VII. 2.

8 *Min*. Nom. S. Maſc. Recte *Mitt*, meum, Nom. S. Neutr.
9. *Orf*. pro Acc. Sing. *Ór* vel *Aur*. Ignoraſſe videtur auctor hoc nomen eſſe anomalum. Flectitur: N. *Ór*. G. *Orvar*. D. *Óru*. A. *Ór*. *i*).
10. *Kom*. Sing. pro Plur. *komu*; veniunt.
Tueim Dat. Pl. pro Nom. *Tuo*, Duo.

VIII. 1.

5. *Kaksnavargr*. Nom. Sing. Recte in Accus. *Kaksnavarg* *k*).
14. *Konkr*. Nominat. ſing. Rex, pro Dat. *Konki*.
26. *Hardar*. Nom. Pl. Fem. G. Atroces. pro Nom. Sing. Maſc. G. *Hardr*, Atrox vel proprie durus.

Deinde voces & phraſes nonnullæ male compoſitæ, & veterum auribus ne auditæ quidem, non raro occurrunt, quin & peregrinæ atque aliæ a vero & genuino ſignificatu diſtortæ. En vero illarum brevem ſyllogen:

Fol. IV. 1.

14. *Kienaſtr*. Prudentiſſimus, Scientiſſimus. Superlat. vocis *Kænn* *l*); Recte *Kunnaſtr*, maxime cognitus, a voce *kunnur* *m*).
25. *Threinglliga* potius hoc Adverbium vertatur per Arcte, mi-

i) *Edda* p. 63.

k) In mendo cubare hoc vocabulum exiſtimat STIERNHIELMIUS, proque eo ſubſtituendum *Raſna-vargr*, quod ſi reciperemus, melius certe conſtarent ejus origines, a verbo videlicet Anglo Saxonico *Ræſn*, Domus, quod apud ULPHILAM Math. 5. 15. *Razna* (in Nominativo *Razn*. *Anal. Ulphil*. p. 88.) in Dativo legitur; ac *Vargr*, proprie Latro, nunc Lupus. Vid. *Orde-Liſt til Våſtgötha Lagen* p. 104. in voce *Görwarger*. Cfr. LOCCENII *Lexic. Jur. S.* p. 91.

l) VEREL. *Ind. L. G.* in voce *Kiæn*. *Ol. Tr. S.* p. 25.

m) *Hervarar Saga* p. 32. Cfr. VEREL. Ind. L. G. in voce *kunnur*.

miſere, quam Maſcule, quod ſcribendum eſt non cum Th ſed T *n*).

IV. 2.

16 *Their.* Illi Nom. Pl. pro *Thar*, Ibi, Adverb; quaſi diceres: *Perſtabat illi tunc unus.*

V. 1.

7. *Their*, Illi. Nom. Pl. pro Adverb. *Tha* vel *Thar* Tunc, vel Ibi.

11. *Thottr.* Genit. Sing. *o*) Minime cum *Th* ſcribitur, verum cum T. *p*), Præterea recte in Accus. *Tottir*, Filiam.

19. *Tidar* pro *Sidar*, poſt. *q*).

V. 2.

4. *Thronat.* Fides, Fidelitas. Subſtantivum pro verbo minime uſitato adhibet auctor. Recte ſcribitur cum T. *r*).

10. *Eibaugs.* Appellatio Poetica Virginis, quam in proſa vix offendas.

14. *Thui heit kongr ſtreinga Frei.* Recte *Thui heit kongr à Frei;* ea propter Rex invocavit *Frei s*).

VI.

n) *Sturlaugs Saga* p. 47. *Gothr. & Rolf. Hiſt.* p. 141. 155. *Herrôds och Boſa Saga* p. 61. 64.

o) *Sturlaugs Saga.* p. 8.

p) Lapis Run. *Hilleſiöenſis*, Lap. *Jerfſiöenſis.* Vid. Lapid. Bur. ſub. N:is m. 4. & 19. Lapis *Broenſis*, & Lap. *Ståkenſis* apud DIKMAN. l. c. p. 66, 97.

q) *Gothr. & R. H.* p. 75.

r) *Herrauds Saga.* p. 22. *Gothr. & R. Hiſt.* p. 129. 144.

s) Confundit heic phraſes *Heita à Gudom* & *Streinga heit*, ambo quidem a veteribus uſitata, ſed diverſa ratione. Prior involvebat Deorum implorationem: e. g. *Alfr kongr hiet a Thor at leita efter Alfhildi: invocavit Rex Alfr Thoronem, ut Alfhild filiam quæreret*, *Herv. Hiſt.* p. 3. Refert in *Hiſt. Ol. Tryggv.* de ſe ipſe THOR, quod homines conſilium ſtatuerent, *at heita a thetta hid rauda ſkiegg*, *invocandi hanc rubram barbam* *Herv. Hiſt. in Nott.* p. 35. De *SIGNI & GEIRHILDUR* dicitur, quod illa *hiet a Freiu*, hæc *a Hott* *Alfs Sag. Thatt.* p. 2. *Heita a Frei til ars ok fridar*, *invocare Frei Deum pro annona & pace. Edda* p. 42, 43. & 69. ubi ſæpius hæc verba recurrunt. Poſterior, ſive *Streinga heit*, nihil aliud ſignificabat, quam arduum aliquid ſibi voto proponere, ad quod virtute enitendum; neque Deos reſpexiſſe videtur, præterquam

VI. 1.

15. *Burdr.* Partus, Nativitas vel Geſtus (Sv. *åtbyrd*) vel Onus, pro *Bidr* Invitat. *t*).

18. *Fabed.* Vox apud ULPHILAM ſæpius occurrit & denotat Gaudium. *u*).

VI. 2.

1. *Febothum*, Dat. Pl. Mulctis *v*); uſurpatur tamen heic pro Dotibus.

3. *Their.* Illi, pro *Thadan*, Illinc. Idem Fol. VII. p. 2. l. 4. Fol. VIII. p. 2. l. 16.

VII. 1.

2. *Knis.* Suſurratio, Muſſitatio *x*) (Sv. *Hviskning*); heic vero adhibetur pro Opprobrio.

13. *Reitr.* Locus ſeptus *y*) (Sv. *Wret*) pro *Reithr*, Iratus.

§. V.

Ubi igitur ſic perſpeximus, quam parum idoneus fuerit noſter veterum imitator, minus forte mirabimur, ſi

G ſua-

quod in majoribus feſtis fieri ſolebat. E. G. INGIALDUS *Ilrâda*, ubi imperium adiret, *Streingdi heit, at hann ſkyldi auka riki ſitt halfo i huerja höfud att, etha döya ella; Voto ſe obſtrinxit regnum ſuum quaqua verſum (Höfud att,* plagæ cardinales) *ad dimidiam partem ſe aucturum vel alias mori. Heims Kringla* T. I. p. 46. *HIORVARD Arngrimi* filius *ſtreingdi heit um jola afton at han ſkyldi eiga Ingiborg ella quedſt han aungua eiga ſkilde; Voto ſe obſtrinxit, vel ſibi propoſuit, ut Ingiborg in matrimonio haberet, vel minus nullam. Herv. Hiſt.* p. 50. Idem de HEIDREKO Rege tradit vetuſtas, quod voto ſeſe obſtrinxerit (*ſteingdi heit jola-apton*) & juramentum dederit, ſe unicuique velle permittere, etiam inimico, ut *ſpekingorum* judicio, res ſubjiceretur. *Herv. Hiſt.* p. 138. Fratres Virginis GOE, NORR & GORR, eodem modo ſibi propoſuerunt, ut hanc ſororem ſuam a quopiam raptam quærerent. *Fundinn Noregr*, p. 2. Ex duobus igitur loquendi modis ſenſu diverſiſſimis unum conſarcinavit, quisquis fuerit, Auctor.

t) *Hervar. Saga*, p. 160. *Goth. R. H.* p. 203.

u) *Evangel. Lucæ* Cap. I. v. 14. C. II. v. 10. Cfr. *Analecta Ulphilana*, p. 104.

v) *Dala Lagen* p. 5.

x) *Edda* p. 72. Cfr. VEREL. *Ind. L. G.* in Verb. *knis.*

y) Vid. *Specim. Lex. Island.* apud HICKESIUM l. c.

ſuarum gnarus virium interdum conſultius duxerit, ſed quod æque male ſucceſſit, plagiarium agere, atque integra aliorum loca ſuo centoni inſerere. In primis Eum hac ratione uſum fuiſſe, conſtat ex *Hiſtoria Gothrici & Rolfonis*, nec non *Hiſtoria Hervoræ*, utraque ante annum 1690 edita; verum ea circumſpectione, ut alia verba ſubinde præterierit, & eorum loco ſubſtituerit alia; in quibus tamen, dum fraudis veſtigia occultare ſtuduit, ignorantiæ reliquit. Enata enim inde ſunt pleraque, quæ præcedenti §. indicavimus vitia; neque vetuſtæ linguæ peritum Lectorem fugere poteſt, ubi ex ipſius ingenii penu aliquid ſumſerit calamus & ubi alios exſcripſerit. In fatis etiam interdum fuit, ut unum alterumve mendum bona fide retineret. Sed tamen moleſtiæ & laboris expers non fuit hæc illius ſedulitas; ſæpe enim in unius lineæ ſubſidium duos immo & tres auctores advocare, & *Lexicon Runicum* WORMII frequenter adire neceſſe habuit, antiquas loquendi formas quæſiturus; neque inconſultum reliquiſſe videtur *Indicem Linguæ Goth.* VERELII, licet tunc temporis nondum editum, ſed apud RUDBECKIUM *Patrem* deliteſcentem. Sequentium collatione inſtituta ipſe judicabit Lector benevolus, quid *Gothr. & Rolf. Hiſtoriæ*, quid *Hervoræ* debuerit, & an ſine ratione trium literarum nomen ei diſtinaverimus:

L. 6. af ſiaum uferettis ithrottum aug ſabarum afreksverk	Af ſinum yferættis z) ithrottum oc fabærum ridaraſkap. Cod. Ormenſis. 128.
L. 8. han hafdi rikis ſtiornr a biarmlanthi, er fir kuadum	Han ried firi Veſtra gautlandi. Thad liggr i mille Norvier,

z) Vitium Chirographicum deſcriptum invenio ex *Indice VERELII* in voce *Fabær*, ubi, dum integer hic locus ex *Codice Ormenſi*, de quo vide ad finem ejusdem *Indicis*, allegatur, mendoſe expreſſum conſpicitur, *Yferættis* pro *Yfirvættis*, quod genuinum eſſe conſtat ex eodem *Indice* in vocibus, *Wætt* & *Yfervættis*, ubi memoratus locus iterum, ſed ſanus, inſeritur.

vier, thath ligr amilli thu-le markn aug gandvik, firi auſtan kioln.

regs ok ſuythiodar, firi au-ſtan kioln *a*) alla - - er fyr nefndum vir. Gothrici & R. Hiſt. p. 1.

L. 17. tha theim haf burd.

Tha theim haf *b*) byr. Her-raud. & Boſ. Hiſt. p. 37.

L. 20. han kallar ſkindlika ludrſveinr ſin aug malti bla-ſa ſaman lid auk kuath ath taka vopn ſina aug bua til oroſto varth tha barthagi hin manſkiedaſt fil margt manna af vahmar thui hialmar ſokti hart at ho-num en han varthiſt thre-inglliga meth lidi ſinu, thui hau hadi fraknra mamna en ath hialmar hadi at-giorum lid meth frakuſtu kappa.

Hervor giek ofan ſkindiliga, oc kallar ludur-ſuein, oc bidur blaſa ſaman lid; oc ſijdan mælti Hervor, takid vopn ydar, oc buiſt til o-roſto. Hervoræ Hiſt. p.171. Tokſt thar thegar bardage mikill - - Herthiofr var-diſt leingi med lidi ſinu, thui han hafdi mart fræ-knra manna; enn med thui ad Vikar hafde valid lid, med fræguſtu kappa - - - ſtarkadr ſokti hart fram -- fellu thar marger menn --. Gothr. & Rolf. Hiſt. p. 24.

Fol. IV. p. 2. L. 17. Eggiadi tha hialmar ſinum koppum meth miklum akaſa amoti

Eggiadi Hrolfr k. ſina menn med miklum akafa: quad alldrey fylgd ad theim, ef

 Fol.

a) *Kioln*, quod in *Hiſt. Goth. & Rolfonis* mendum typotheticum eſt, eamdem ſpolians retinuit noſter. Neque *Kioln* ex *kiolin* contractum dixeris; præterquam enim quod ad-modum recens eſt hæc flectio, voci reſpondet adjectivum Accuſativi Plur. *Alla*, quod eumdem caſum ſubſtan-tivi requirit. Habet STURLESSON T. I. p. 637. *firi auſtann kielo. Fun-dinn Noregr* p. 3. *Veſtan a kelu.*

b) *Haf* in *Hiſtoria Herraudi & Boſii* operarum errorem eſſe & inde in noſtram irrepſiſſe, nullus du-bito. Pluribus enim in locis idem loquendi modus cum G occurrit, e. g. p. 12. & 43. Neque literæ H eundem ac G ſonum eſſe alicubi in-veni. In Lapidibus nonnullis Ru-nicis H pro G molli ſeu J offen-dere quidem licet, verum numquam pro G duro, ut eſt hoc loco.

barke, kuad theim rekſtur ef their ei reki han af ſier barthiſt barke a huoſſum hugg auk men meth moppum en tha halludiſt miok baratin a tha barke.

their ræki ey ſuija Kong af ſier. Bardiſt Thorbergr k. af huoſſum hug, oc felldi marga menn, med ſinum koppum: enn thò hallâdiſt miòc bardæginn à thà ſuia. Gothr. & Rolf. Hiſt. p. 141.

Fol. V.1. L.1. a vige voro attiki vigra men en tha hialmar lid komu ath giorthu their ſuo barth hrid, ath their hriſtu giatur en er hord. - -

Var thar gott vige - - thar var fyri ſiautigi vigra manna - - en thegar Vikingar komu ad, giordu their ſua harda adgaungu, ad their hriſtu grindar ok hurder. ibid. p. 24.

L. 14. hun var ſkorungr mikil aug nu roſkin - - - lit han buaſt til brudveitſlu, um apton uru their leid in eerna rekium. takaſt ſuo meth theirm gothar aſtr ei miklu tidar getr hialmar ſveinbarn vith konu ſini er troma hit thath var frutht fediſt thar up meth miklu virdinki aug agietaſta meth hird faudur ſin k veiti bonum eirn firedi mathr theira er fregaſti var thar northur ollum tha iafnaldra; han veiti honum allan ridarſkab auk ithrottum ther, ſem vaſkir men auk konſeirnom theim hafdi ath nama; thui

Hun var ſkorungr mikill oc nu roſkin - - er nu ſnuit til mikillrar veitſlu: oc ad theſſari veitſlu eru thaug leidd i eina reckiu. Herv. Hiſt. p. 66. 67.

Tokuſt ſua med theim godar aſter; - - oc ey miklu ſijdar getr Gautrekr K. barn vid Konu ſinni; thad var ſuein-barn, oc var frydt - - Han ox thar upp med hirdinni.

Veitti kongr honom id agiætaſta foſtr kongr feck honum than meiſtara er beſtr var à Nordr londum, ſà ed kendi honom allan riddaraſkap oc ithrottr,

vart.

vart han bradgior a ollum throtſka.

thær ſem vaſkir men oc hrauſter girntuſt ad nema *c*). Gothr. & R. Hiſt. p. 75. 83.

Fol. V. p. 2. L. 2. tok rikis ſtiornar aug kong nofn a Biarmlanthi aug theim riki ſem faudur han hafdi thronat.

Tok Herraud tha kongs nafn i Gautlandi oc theim rikium, ſem fadir hans hafdi ſtyrt. Herrauds och Bos. S. p. 66.

L. 12. urke hit meiſti berſerkr theſſi nam braut heidil thui heit kongr ſtreinga frei ath hun til faudur ſin matti ſlittia man en hun bediſt thor thui han honum ſloar meth miolner auk ſliti man heim til faudur ſin.

Nam Starkadr Aludrengur Alfhildi i burt, och hafdi hana heim med ſier. Alfur Kongr hiet thà à Thor, ad leita epter Alfhilldi: oc ſijdan drap Thor Starkad, oc liet alfhilldi fara heim til faudur ſins. Herv. Hiſt. p. 3.

Fol. VI. p. 1. L. 5. aug bidur han til holmgaungu aug kuadr honum vera hvars koppes nidingur ef gingr fra fir han hafdi beriaſt. Af theſſu ath k. ſkildi ſama theim mal milli giefr han honum mikit i gulli aug ſilfri auk morgi hnosſirum ath theſſum dura gripum var it agietr hurn.

Bidur nu Hiorvardr Hialmare til holmgaungu i ſamſey; oc kuedur hann vera huors mans niding, ef geingr frà, firr enn thetta einvige er reint. Herv. Hiſt. p. 52.

Ad Hr. Kongr ſkilldi eirn ollu ràda theirra i millum - - Giefr han med henni mikit fie i gulli oc ſylfri oc morgum dyrgripum - - - Eirn af theim gripum var horn ſua agiætt - - Gothr. & Rolf. Hiſt. p. 203. 204.

L. 14.

c) Quæ addita ſunt, deſumta videntur ab eodem Auctore, p. 16.

Fædiſt han thar upp med hird faudur ſins ok var bradgior à allan throſka.

L. 14. lit nu kongr bredas til brudkaup hin venſamlikaſtr auk burdr olli lenthir men af riki ſinu thruka allr ſaman katr meth blidri vingan aug gothu fabed.

Halfdan kongr liet bua til veitſlu, oc bydr til morgu ſtormenni af ryki ſinu - - Drucku nu allerſaman kàter, med blidri vingan, oc godu ſamthycki. ibid. p. 203.

Fol. VI. p. 2. L. 2. meth mikilri blidu haldr nu jarln their i brut meth tveir ſkip a Th. meth ſeigna konu ſini hun atti hunum ein ſun barna than er vimi hit han var ſnema mikil aug avar throtſka venligr.

Med mikillri blidu - - Epter thetta hallda their i brutt af Garda rijki med feingna konu - - - Hrolfr k. hafdi getit ſon vid Drottningo ſinni, than er Gautrekr hiet; han ver ſnema mykill oc throſkavænligr. ibid. p. 205. 206.

Fol. VII. p. 2. L. 5. nu bradt k. meth magu ſini aug drotingu aug vitruſtu men verſi ſkal vara kuath tha umſithr h. k. thath er min iltaki ath their.

Hrollaugr rædſt nu um vid Drottningu ſina, oc vitruſtu menn huerſu med ſkal fara - - - Drottning ſagdi: Herra, thad er min tillaga, ad thier. Herv. Hiſt. p. 136.

Addi his poterit carmen magicum *Hialmari* Fol. VII. p. 1. cum *Buſlæ* imprecationibus in *Herraudi & Boſii Hiſtoria d)* comparatum, nec non narratiuncula de immolatione equorum Fol VIII. p. 1. quam ex *Hiſtoria Hervoræ e)*, mutatis tamen mutandis, deſumtam videmus.

§. VI.

Reſtat tantummodo, ut de ipſa membrana, quam in Regio Antiquitatis Archivo ſervatam inſpiciendi aliquan-

d) p. 18. ſeqq. e) p. 138.

quando occaſio fuit *f*), nonnulla adjiciamus, iis, quæ hactenus allata ſunt, pondus additura. Miramur BIÖRNERUM, ſed quis in antiquitate eruenda BIÖRNERO audacior? miramur inquam, Eum ad ipſum atramentum, ad voces nonnullas aureo pigmento ornatas *h*), ad ipſam membranam, ipſum denique ſtylum provocaſſe, ceu genuini Fragmenti acerrimos vindices *g*). Hæc enim omnia, quoquo modo comparata ſint, certe non ejus ſunt indolis, ut firmum fulcire poſſint de Fragmento noſtro judicium. Obſervari potius meretur, nonnullas quidem paginas revera commaculatas eſſe, ita tamen, ut margines plerumque textu ſint puriores; præ reliquis vero miſere polluta conſpicitur p. 2. Fol. VI. quam axungia opple-tam & HALPAPUS & PERINGSKIÖLDIUS legere non poterant, ſed, cum propius advertitur oculus, locus unus & alter non bene oblitus aut temporis ope axungia illa liberatus manifeſtum facit, nullam ibi unquam fuiſſe ſcripturam, præter literas, quæ in PERINGSKIÖLDIANA editione hic illic ſparſæ comparent. Quid aliud inde conjicimus, quam qui runas pingere haud grave duxerat, eum etiam folia aliquot ſtudio inquinaſſe æque ac laceraſſe, quibus ſcilicet conſtaret, quam violentis manibus quamque prope imminenti ruinæ ereptæ eſſent tantæ vetuſtatis reliquiæ?

§. VII.

Quis vero ille fuerit, non æque certe pronunciare audemus, ne manibus alicujus judicemur iniqui. Interim tamen diſſimulare non poſſumus, iis temporibus conſar-

f) Mirari non convenit, ſi & ego illos inter ſim, qui Humaniſſimi Viri Generoſiſſ. *Reg. Canc. Conſiliarii* C. R. BERCH gratiam & favorem ſumma animi veneratione agnoſcant.

g) Vid. *Cogg. de Orthographia Linguæ Svio g.* p. 41. 42.

h) Re ipſa auro obductæ iisque haud abſimiles literis, quæ corrigentes manus in *Codice Argenteo* indicant; de quo Vid. ſupra p. 3. in notis.

ſarcinatum videri Fragmentum, quibus ab HALPAPO primum edebatur, adeoque ſuſpicionem, quæ BURÆO minus convenit, proxime in eum incidere, qui illius ſeſe jactaverit inventorem. Fieri tamen potuit, ut ruſticus, qui illum deciperet, ab aliis eſſet inſtructus, quod ſive ita fuerit, ſive ſecus, plures certe fraudis erant, ſi non auctores, tamen conſcii atque participes. Hos inter, neſcio, an O. RUDBECKIUM, *Patrem*, & LUNDIUM, viros alias ſupra meas laudes poſitos, merito referamus, utpote apud quos ſolos tum emendandus ſervabatur *Index L. G.* VERELII, ex quo vitium chirographicum in Fragmentum translatum fuiſſe vidimus. Sine eorum venia nominatus *Index* ne quidem inſpici potuit. Ad hæc ſi addamus RUDBECKII, productis *Excerptis ex Annotationibus CAROLI Epiſc. Aroſ.* antea labefactatam fidem & acclamationem, qua HALPAPI Diſſertationem laudaverat: ſi conſideremus memorari heic ABARIN & ZAMOLXIN, licet 1500 annis HIALMARUM anteceſſerint, ut ſcilicet Cel. LUNDII *Opuſculo*, hujus nomine inſignito, fides conſtaret *i*); vix videmus, quomodo ſuſpicione hi viri liberari queant. Forte etiam aliquis mirabitur, cur notis a PERINGSKIÖLDIO promiſſis deſtituatur *Hiſtoria*, tanta attentione digna; cum minoris momenti, & ab eo, & ab aliis Antiquariis, hoc tempore, illuſtrata ſint. Verum hæc aliorum magis ſubacto judicio diſcutienda relinquimus.

Cap.

i) Fuiſſe intra patrios limites, etiam temporibus RUDBECKII, qui omnia Ejus ingenii figmenta cæca non amplecterentur fide, conſtat ex literis *Regni Cancell.* M. G. DE LA GARDIE ad *Reg. Colleg. Antiqu.* Vid. *Sv. Merc.* 1760. *Febr. Menſ.* Forte & aliquis auſus fuit a Cel. LUNDIO expoſtulare, ut teſtimoniis fide dignis probaret, quæ de ZAMOLXI in publicum protuliſſet. Vero certe quam ſimillimum eſt, non dum 1690 conquiſitas eſſe, pæne confectas dixerim, omnes veteres membranas, ad quas quavis, fere pagina laudati *Opuſculi* provocat.

Ak, mai 1954 2,50

12423